

*De retractatione sententiæ pro ingenuitate. 1. Si plures ad detegendum accedant.*

5. HERMOGENIANUS (lib. 5. Juris epitomarum.)

Sententiam pro ingenuitate dictam, & collusionis prætextu semel retractare permittitur. §. 1. Si plures ad collusionem de-

regendam pariter accedant, causa cognita, quis debeat admitti, comparatis omnium moribus, & ætatibus, & 7 cujus magis interest, statui oportet.

(7.l.3.in fin.infr.de popul.act.)

## LIBER QUADRAGESIMUS PRIMUS.

### TIT. I.

#### DE ACQUIRENDO I RERUM DOMINIO.

*De jure gentium, & civili. 1. De occupatione animalium, & de editis ex illis.*

1. GAJUS (lib. 2. Rerum Quotidianarum five aureorum.)

**Q**uarumdam rerum dominium nanciscimur 2 jure gentium, quod ratione naturali inter omnes homines peræque servatur: quarumdam jure Civili, id est, jure proprio civitatis nostræ. Et quia antiquius jus gentium cum ipso genere humano proditum est: opus est, ut de hoc prius referendum sit. §. 1. Omnia 3 igitur animalia, quæ terra, mari, cælo capiuntur, id est, feræ bestiæ, (&) volucres, pisces, capientium sunt;

2. FLORENTINUS (lib. 6. Institutionum.)

Vel quæ ex his apud nos sunt 4 edita.

3. GAJUS (lib. 2. Rerum Quotidianarum five Aureorum.)

**Q**uod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur. §. 1. Nec interest 5, quod ad feras bestias, & volucres, utrum in suo fundo quisque capiat, an in alieno. Plane qui in alienum fundum ingreditur, venandi, aucupandive gratia 6, potest 7 a domino, si is providerit, jure prohiberi, ne ingrederetur. §. 2. Quidquid autem eorum ceperimus, eo usque nostrum esse intelligitur 8, donec nostra custodia coercetur, cum vero evaserit custodiam nostram, & in naturalem 9 libertatem se receperit, nostrum esse definit, & rursus occupantis fit:

4. FLORENTINUS (lib. 6. Institutionum.)

Nisi 10, si mansuefacta emitti, ac reverti solita sunt.

1. De vulneratione. 2. De apibus. 5. De pavonibus, columbis, apibus, cervis: & ceteris animalibus mansuefactis. 6. De gallinis, & anseribus. 7. De captis ab hostib., & de animalium fætu, & de postliminio.

5. GAJUS (lib. 2. Rerum Quotidianarum, five Aureorum.)

**N**aturalem 11 autem libertatem recipere 12 intelligitur, cum vel oculos nostros effugerit, vel ita sit in conspectu nostro, ut difficilis sit ejus persecutio. §. 1. Illud quæsitum est, an fera bestia, quæ ita vulnerata sit, ut capi possit, statim nostra esse intelligatur. † Trebatio placuit, statim nostram esse; & eousque nostram videri, donec eam persequamur, quod si deserimus eam persequi, definire nostram esse, & rursus fieri occupantis; itaque si per hoc tempus, quo eam persequimur, alius eam ceperit eo animo, ut ipse lucrifaceret, furtum videri nobis eum commisisse. † Plerique non aliter putaverunt eam nostram esse, quam si eam ceperimus; quia multa accidere possunt, ut eam non capiamus: quod 13 verius est. §. 2. Apium 14 quoque natura fera est. Itaque quæ in arbore nostra confederint, antequam a nobis alveo concludantur, non magis nostræ esse intelliguntur, quam volucres, quæ in nostra arbore nidum fecerint. Ideo si alius eas incluserit, earum dominus erit. §. 3. Favos 15 quoque si quos hæ fecerint, sine 16 fætu quilibet possidere potest. Sed (ut supra quoque diximus) qui in alienum fundum ingreditur, potest a domino, si is providerit, jure prohiberi, ne ingrederetur. §. 4. Examen 17, quod ex alveo nostro evolaverit, eo 18 usque nostrum esse intelligitur, donec in conspectu nostro est, nec difficilis ejus persecutio est: alioquin occupantis fit. §. 5. Pavonum, 19 & columbarum fe-

ra natura est 20: nec ad rem pertinet, quod ex consuetudine avolare, & revolare solent. † Nam & apes idem faciunt, quarum constat feram esse naturam. † Cervos 21 quoque ita quidam mansuetos habent, ut in sylvas eant, & redeant: quorum & ipsorum feram esse naturam, nemo negat. † In his autem animalibus, quæ consuetudine abire, & redire solent, talis regula 22 comprobata est, ut eousque nostra esse intelligantur, donec 23 revertendi animum habeant: quod (si) deserint revertendi animum habere, definant nostra esse, & fiant occupantium. Intelliguntur autem desiisse revertendi animum habere tunc, cum revertendi consuetudinem deseruerint. §. 6. Gallinarum, 24 & anserum non est fera natura: palam est enim, alias esse feras gallinas, & alios feros anseres. Itaque si quolibet modo anseres mei, & gallinæ meæ, turbati 25 turbatave adeo longius evolaverint, ut ignoremus, ubi sint: tamen nihilominus in nostro dominio tenentur. Qua de causa furti nobis tenebitur, qui quid eorum lucrandi animo adprehenderit. §. 7. Item quæ ex 26 hostibus capiuntur, jure gentium statim capientium sunt.

6. FLORENTINUS (lib. 6. Institutionum.)

Item quæ 27 ex animalibus dominio nostro eodem jure subjectis nata sunt.

*De his, quæ ad flumina, & maria pertinent. 1. De alluvione. 2. De vi fluminis. 3. De insula. 5. De alveo. 6. De inundatione. 7. De specificatione. 8. De confusione. 10. De his, quæ solo cedunt. De adificatione. 12. De plantatione, & de his, quæ sunt in confinio.*

7. GAJUS (lib. 2. Rerum Quotidianarum five Aureorum.)

**A**deo quidem, ut & liberi homines in servitutem deducantur: qui tamen, si evaserint hostium potestatem, recipiunt pristinam libertatem. §. 1. Præterea quod per alluvionem 28 agro nostro flumen adjicit, jure gentium nobis acquiritur 29 † Per alluvionem autem id videtur adjici, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligere non possimus, quantum quoquo momento temporis adjiciatur. §. 2. Quod si 30 vis fluminis partem aliquam ex tuo prædio detraxerit, & meo prædio attulerit: palam est, eam tuam permanere 31. Plane si longiore tempore fundo meo hæserit, arboreque, quas secum traxerit, in meum fundum radices egerint: ex eo tempore videtur meo fundo adquireta esse. §. 3. Insula 32, quæ in mari nascitur, (quod raro accidit) occupantis fit: nullius enim esse creditur. † In flumine nata (quod frequentier accidit), si quidem mediam partem fluminis tenet: communis est eorum, qui ab utraque parte fluminis prope ripam prædia possident, pro modo latitudinis cujusque prædii, quæ latitudo prope ripam sit, quod si alteri parti proximior sit: eorum est tantum, qui ab ea parte prope ripam prædia possident. §. 4. Quod si uno latere perripuerit flumen, & alia (parte) novo rivo fluere cæperit, deinde infra novus ille rivus in veterem se converterit: ager, qui a duobus rivis comprehensus, in formam 33 insulæ redactus est, ejus est scilicet, cujus & fuit. §. 5. Quod si 34 toto naturali alveo relicto flumen alias fluere cæperit: prior quidem alveus eorum est, qui prope ripam prædia possident, pro modo scilicet latitudinis cujusque prædii, quæ (latitudo) prope ripam sit: novus autem alveus ejus juris esse incipit, cujus & ipsum flumen, id est, publicus juris gentium. Quod si post aliquod tempus ad priorem 36 alveum reversum fuerit (&) flumen: rursus novus alveus eorum esse incipit, qui prope ripam ejus prædia possident. † Cujus tamen totum agrum novus alveus occupaverit: licet ad priorem alveum reversum

TIT. I. (1. Lib. 2. Inst. 1. (2 §. 11. Inst. de rer. divis. (3 §. 12. Inst. d. t. (4. l. 6. infr. h. t. (5. d. §. 12. (6. l. 16. supr. de servit. præd. rustic. l. un. C. de thesaur. lib. 10. tit. 15. (7. l. 5. §. 3. inst. h. t. (8. l. 1. §. 10. supr. si quadrupes pauper. (9. l. 5. in pr. infr. h. t. (10. l. 44. infr. eod. (11. l. 3. in fin. sup. d. l. 44. inf. eod. (12. §. 12. in fin. Inst. de rer. divis. (13. l. 55. v. summam. infr. h. t. §. 13. Inst. de rer. divis. (14. §. 14. Inst. d. t. (15. d. §. 14. (16. l. 26. in pr. infr. de furt. (17. d. §. 14. in fin. (18. l. 3. §. 16. infr. de acquir. vel omis. poss. (19. §. 15. Inst. de rer. divis.

(20. Vide tamen l. 37. infr. de furt. (21. d. §. 15. (22. arg. l. 4. supr. h. t. (23. l. 8. §. 1. supr. famil. ercise (24. §. 16. inst. de rer. divis. (25. Ad del. 44. inf. h. t. (26. l. 7. in pr. l. 51. §. 1. infr. eod. l. 1. §. 1. infr. iii. prox. §. 17. Inst. de rer. divis. (27. §. 19. Inst. d. t. (28. l. 1. in fin. C. de alluvion. §. 20. inst. de rer. divis. (29. l. 12. in pr. l. 16. infr. h. t. (30. §. 21. Inst. de r. r. divis. l. 4. in fin. supr. de reb. cred. (31. l. 8. infr. de incend. (32. §. 22. inst. de rer. divis. 33. l. 30. §. 2. infr. h. t. l. 1. C. de alluvion. §. 22. in fin. Inst. de rer. divis. (34. §. 23. Inst. d. t. (35. l. 38. infr. h. t.



fuerit flumen; non tamen is, cuius is ager fuerat, stricta ratione quicquam in eo alveo habere potest: quia & ille ager, qui fuerat, desit esse, amissa propria forma; & quia vicinum prædium nullum habet, non potest ratione vicinitatis ullam partem in eo alveo habere; sed 36 vix est, ut id obtineat. §. 6. Aliud sane est, si cuius ager totus inundatus 37 fuerit: namque inundatio speciem fundi non mutat; & ob id cum recesserit aqua, palam est, ejusdem esse, cuius & fuit. §. 7. Cum quis ex aliena materia speciem 38 aliquam suo nomine fecerit, Nerva, & Proculus putant; hunc dominum esse, qui fecerit: quia quod factum est, antea nullius fuerat. † Sabinus (&) Cassius magis *naturalem rationem* efficere putant: ut 39, qui materia dominus fuerit, idem ejus quoque, quod ex eadem materia factum sit, dominus esset: quia sine materia nulla species effici possit; veluti si ex auro, vel argento, vel ære vas aliquod fecero: vel ex 40 tabulis tuis navem, aut armarium, aut subsellia (fecero): vel ex lana tua vestimentum: vel ex vino & melle tuo mulsam: vel ex medicamentis tuis emplastrum, aut collyrium 41: vel ex uvis, aut olivis, aut spicis tuis vinum, vel oleum, vel frumentum. † Est tamen etiam media sententia recte existimantium, si species 42 ad materiam reverti possit, verius esse, quod & Sabinus, & Cassius senserunt: si 43 non possit reverti, verius esse, quod Nervæ, & Proculo placuit, ut ecce vas constatum, ad rudem massam auri, vel argenti, vel æris reverti potest: vinum vero, vel oleum, vel frumentum, adivas, & olivas, & spicas reverti non potest: ac ne mulsam quidem ad mel, & vinum; vel emplastrum, aut collyria ad medicamenta reverti possunt. † Videntur tamen mihi recte quidam dixisse, non debere dubitari, quin alienis spicis excussum frumentum ejus sit, cuius & spicæ fuerunt; cum enim grana, quæ spicis continentur, perfectam habeant suam speciem, qui excussit spicas, non novam speciem facit, sed eam, quæ est, detegit. §. 8. Voluntas duorum dominorum miscantium 44 materias, commune 45 totum corpus efficit: sive ejusdem generis sint materia, veluti vina miscuerunt, vel argentum confaverunt; sive diversæ, veluti si alius vinum contulerit, alius mel, vel alius aurum, alius argentum: quamvis & multi, & electri, novi corporis sit species. §. 9. Sed & si sine voluntate dominorum casu confusæ 46 sint duorum materia, vel ejusdem generis, vel diversæ: idem juris est. §. 10. Cum in suo loco aliquis aliena materia ædificaverit 47, ipse dominus intelligitur ædificii: quia *omne, quod inædificatur, solo cedit.* 48 Nec tamen ideo is, qui materia dominus fuit, desit ejus dominus esse: sed tantisper neque vindicare 49 eam potest, neque ad exhibendum 50 de ea agere, propter Legem XII. Tabularum, qua cavetur, *ne quis tignum alienum adibus suis junctum eximere cogatur, sed duplum pro eo præset.* † Appellatione 51 autem *tigni* omnes materiae significantur, ex quibus ædificia fiunt. Ergo si aliqua ex causa dirutum sit ædificium, poterit materia dominus nunc eam vindicare, & ad exhibendum agere. §. 11. Illud recte quaritur, an, si id ædificium vendiderit is, qui ædificaverit, & ab emtore longo tempore captum postea dirutum sit, adhuc dominus materiae vindicationem ejus habeat? causa dubitationis est, an eo ipso, quo universitas 52 ædificii longo tempore capta est, singulari quoque res, ex quibus constabat, captae essent: quod non placuit. §. 12. Ex 53 diverso, si quis in alieno solo sua materia ædificaverit, illius 54 sit ædificium, cuius & solum est: & si scit alienum solum esse, sua voluntate amisisse proprietatem materiae intelligitur; itaque neque 55 diruto quidem ædificio vindicatio ejus materiae competit. † Certe si dominus soli petat ædificium, nec solvat pretium materiae, & mercedes fabricorum, poterit per exceptionem doli mali repelli: utique si nescit, qui ædificavit, alienum esse solum, & tamquam in suo bona fide ædificavit: nam si scit, culpa ei objici potest, quod temere ædificavit in eo solo, quod intelligeret alienum. §. 13. Si alienam plantam 56 in meo solo posuero, mea erit: ex diverso, si meam plantam in alieno solo

posuero, illius erit: si modo utroque casu radices egerit: antequam enim radices ageret, illius permanet, cuius & fuit. † His conveniens est, quod si vicini arborem ita terra presserim, ut in meum fundum radices egerit; meam effici arborem; rationem enim non permittere, ut alterius arbor intelligatur, quam cuius fundo radices egerit. Et ideo prope confinium arbor posita, si etiam in vicinum fundum radices egerit, communis est.

8. MARCIANUS (lib. 3. Institutionum.)

Pro regione cuiusque prædii. §. 1. Sed & si in confinio 57 lapidis nascatur, & sunt pro indiviso communia prædia: tunc erit lapis pro indiviso communis, si terra exemtus sit.

*De ratione.* 1. *De his, quæ quasi solo cedunt.* *De scriptura.* 2. *De pictura.* 3. *De traditione.* 5. *De quasi traditione, & primum de venditione rei ex causa non transferente dominium tradita.* 6. *De traditione clavium.* 7. *De missilibus.* 8. *De his, quæ in tempestate, levandæ navis causa, ejiciuntur.*

9. GAJUS (lib. 2. rerum quotidianarum five aureorum.)

Qua ratione autem plantæ, quæ terra coalescunt, solo cedunt, eadem ratione frumenta quoque, quæ sata 58 sunt, solo cedere intelliguntur. † Ceterum sicut is, qui in alieno solo ædificavit 59, si ab eo dominus soli petat ædificium, defendi potest per exceptionem doli mali: ita ejusdem exceptionis auxilio tutus esse poterit, qui (in) alienum fundum sua impensa consedit. §. 1. *Literæ* 60 quoque licet aureæ sint, perinde chartis, membranisque cedunt, ac solo cedere solent ea, quæ ædificantur, aut feruntur. † Ideoque si in chartis membranisque tuis carmen, vel historiam, vel orationem scripsero: hujus corporis non ego, sed tu dominus esse intelligeris. Sed si a me petas tuos libros, tuasve membranas, nec impensas scripturæ solvere velis, potero me defendere per exceptionem doli mali; utique si bona fide eorum possessionem nactus sim. §. 2. Sed non, uti literæ chartis, membranisque cedunt, ita solent *picturæ* 61 tabulis cedere: sed ex diverso placuit, tabulas picturæ cedere. † Utique tamen conveniens est, domino tabularum adversus eum, qui pinxerit, si is tabulas possidebat, utilem actionem dari, qua ita efficaciter experiri poterit, si picturæ impensam exsolvat: alioquin nocebit ei doli mali exceptio; utique si bona fide possessor fuerit, cui solverit. Adversus dominum vero tabularum ei, qui pinxerit, rectam vindicationem competere dicimus: ut tamen pretium tabularum inferat; alioquin nocebit ei doli mali exceptio. §. 3. Hæ quoque res, quæ traditione 62 nostræ fiunt, jure gentium nobis adquiruntur: nihil enim tam conveniens est naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis 63 rem suam in alium transferre, ratam haberi. §. 4. Nihil 64 autem interest, utrum ipse dominus per se tradat alicui rem, an voluntate ejus aliquis. † Qua 65 ratione si cui libera negotiorum administratio ab eo, qui peregre proficiscitur, permilla fuerit, & is ex negotiis rem venderit, & tradiderit: facit 66 eam accipientis. §. 5. Interdum etiam sine traditione nuda 67 voluntas domini sufficit ad rem transferendam. Veluti si rem, quam commodavi, aut locavi tibi, aut apud te deposui, vendidero tibi; licet enim ex ea causa tibi eam non tradiderim, eo tamen, quod patior eam ex causa emtionis apud te esse, tuam efficio. §. 6. Item si quis merces in horreo repositas vendiderit, simul atque claves 68 horrei tradiderit 69 emtori, transfert proprietatem mercium ad emtorem. §. 7. Hoc amplius, interdum, & in incertam personam collocata voluntas domini, transfert rei proprietatem: ut ecce, qui missilia 70 jactat in vulgus; ignorat enim, quid eorum quisque excepturus sit; & tamen, quia vult, quod quisque exceperit, ejus esse, statim eum dominum efficit. §. 8. Alia causa est earum rerum, quæ in tempestate maris, levandæ navis causa 71, ejiciuntur: hæ enim dominorum permanent: quia non eo animo ejiciuntur, quod quis eas habere non vult: sed quod magis cum ipsa nave periculum maris effugiat; qua de causa si quis eas fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari nactus, lucrandi animo abstulerit, furtum committit.

(36. l. 30. §. 3. *infr. eod.* (37. §. 24. *Inst. de rer. divis.* (38. §. 25. *Inst. d. 1.* (39. l. 76. *in fin. supr. de judic. l. 9. §. 3. supr. ad exhib.* (40. l. 26. *in pr. infr. h. t.* (41. §. 25. *Inst. de rer. divis. l. 18. §. 10. sup. de instruct. vel instrum.* (42. l. 24. *infr. h. t.* (43. l. 27. §. 1. *infr. eod.* (44. §. 28. *Inst. de rer. divis.* (45. l. 3. §. *fin. supr. de rei vind.* (46. §. 27. *Inst. de rer. divis.* (47. §. 29. *Inst. d. t.* (48. l. 49. *supr. de rei vind. l. 2. C. de servit.* (49. l. 23. §. 6. *supr. de rei vind.* (50. l. 6. *supr. ad exhibend.* (51. l. un. §. 1. *infr. de tigno junct.* (52. l. 30. *in pr. infr. de adquir. vel amit. poss.* (53. §. 30. *Inst. de rer. divis.* (54. §. 10. *supr. hic. l. 5. C. de rei vind. l. 2. C. de servit. l. 37. supr. de rei vind.* (55. Immo vide *d. l. 37. l. 2. C. de rei vind.* (56. §. 31. *Inst. de rer. divis. l. 5. §. 3. supr. l. 11. C. de rei vind.*

(57. l. 19. *in pr. supr. communi divid. l. 83. supr. pro socio.* (58. §. 32. *Inst. de rer. divis.* (59. l. 7. §. 12. *supr. h. t.* (60. §. 33. *Inst. de rer. divis. l. 3. §. 14. supr. ad exhib.* (61. §. 34. *Inst. de rer. divis. l. 23. §. 3. supr. de rei vind.* (62. l. 20. *in pr. infr. h. t.* §. 40. *Inst. de rer. divis. l. 20. C. de pact. l. 12. C. de rei vind. vide tamen l. 31. in pr. infr. h. t.* (63. l. 9. *C. de Judæis.* (64. §. 42. *Inst. de rer. divis.* (65. §. 43. *Inst. d. t. l. 58. l. 59. supr. de procur.* (66. Immo vide *l. 16. C. l. 63. supr. d. t.* (67. §. 44. *Inst. de rer. divis.* (68. §. 45. *Inst. d. t.* (69. l. 74. *supr. de contrah. emt.* (70. §. 46. *Inst. de rer. divis.* (71. §. 48. *Inst. d. t. l. 7. infr. pro derelicto.*



*Per quas personas nobis acquiritur. 1. De servis nostris. 3. De his in quibus usufructum habemus. 4. De bona fide possessis. 5. De differentia fructuarii, & bonæ fidei possessoris.*

10. IDEM (lib. 2. Institutionum.)

**A**dquiruntur nobis non solum per nosmet ipsos, sed etiam per eos 72, quos in potestate habemus: item per servos, in quibus usufructum habemus: item per homines liberos, & servos alienos, quos bona fide possidemus; de quibus singulis diligentius dispiciamus. §. 1. Igitur quod servi 73 nostri ex traditione nanciscuntur, sive quid stipulentur, vel ex qualibet alia causa acquirunt, id nobis acquiritur: ipse enim, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest. † Ideoque si heres institutus sit, nisi nostro jussu, hereditatem adire non potest; & si jubentibus nobis adierit, hereditas nobis acquiritur, perinde atque si nos ipsi heredes instituti essemus. \* Et his convenienter scilicet legatum nobis per eundem acquiritur. §. 2. Non solum autem proprietates per eos, quos in potestate habemus, acquiruntur nobis, sed 74 etiam possessio: cujusque enim rei possessionem adepti fuerint, id nos possidere videmur. \* Unde etiam per eorum longam possessionem dominium nobis acquiritur. §. 3. De 75 his autem servis, in quibus tantum usufructum habemus, ita placuit, ut quidquid ex re nostra, vel ex operis suis acquirant, id nobis acquiratur: si quid vero extra eas causas persecuti (sint), id ad dominum proprietatis pertinet. \* Itaque si is servus heres institutus sit, legatumve quid, aut ei donatum fuerit, non mihi, sed domino proprietatis acquiritur. §. 4. Idem placet de eo 76, quia nobis bona fide possidetur, sive liber sit, sive alienus servus: quod enim placuit de usufructuario, idem probatur etiam de bonæ fidei possessore. \* Itaque quod extra duas causas acquiritur, (id) vel ad ipsum pertinet, si liber est: vel ad dominum ejus, si servus est. §. 5. (Sed) bonæ fidei possessor, cum 77 usufructum servum, quia eo modo dominus sit, ex omnibus causis per eum sibi acquirere potest, usufructuarius vero usufructum servum non potest: primum, quia non possidet, sed habet jus utendi fruendi: deinde, quoniam scit, servum alienum esse.

*De pupillo.*

11. MARCIANUS (lib. 3. Institutionum.)

**P**upillus 78, quantum ad acquirendum, non indiget tutoris auctoritate: alienare vero nullam rem potest, nisi præsentis tutoris auctore; & ne quidem possessionem, quæ est naturalis, ut Sabinianis visum est: Quæ sententia vera est.

*De lacubus, stagnis. 1. De specie facta ex ære unius, & argento alterius.*

12. CALLISTRATUS (lib. 2. Institutionum.)

**L**acus 79, & stagna, licet interdum crescant, interdum exarescant, suos tamen terminos retinent; ideoque in his jus alluvionis non agnoscitur. §. 1. Si ære meo, & argento tuo confectio, aliqua species facta sit, non erit ea nostra communis: quia cum diversæ materiæ res, atque argentum sit, ab artificibus separari 80, & in pristinam materiam reduci solet.

*De procuratore. 1. De tutore.*

13. NERATIUS (lib. 6. Regularum.)

**S**i procurator rem mihi emerit ex mandato meo, eique sit tradita meo nomine: dominium mihi, id est, proprietates acquiruntur 81, etiam ignorantibus. §. 1. Et tutor pupilli, pupillæ, similiter ut procurator 82, emendo nomine pupilli, pupillæ, proprietatem illis acquirunt etiam ignorantibus.

*De litore, & edificio ibi posito. 1. Deinde sublato.*

14. IDEM (lib. 5. Membranarum.)

**Q**uod 83 in litore 84 quis edificaverit, ejus erit: nam litora publica non ita sunt, ut ea, quæ in patrimonio sunt populi; sed ut ea, quæ primum a natura prodita sunt, & in nullius adhuc dominium pervenerunt; nec dissimilis conditio eorum est, atque piscium & ferarum: quæ simul atque apprehensæ sunt, sine dubio

(72. l. 53. l. 63. in pr. inf. h. t. l. 1. §. 1. sup. de his qui sui, vel alien. jur. l. 79. sup. de acquir. vel omitt. her. §. 3. Inst. per quas person. cuique. (73. d. §. 3. (74. d. §. 3. vers. non solum. l. 24. inf. de acquir. vel amitt. poss. (75. §. 4. in pr. Inst. per quas person. cuique. (76. d. §. 4. vers. idem placet. & §. 1. Inst. per quas person. nobis acquirunt. (77. d. §. 4. vers. sed bonæ fidei possessor. (78. §. 2. Inst. quib. alien. licet. l. 9. sup. de auct. tut. (79. l. 24. in fin. sup. de aqua & aquæ pluv. (80. l. 5. §. 1. sup. de rei vind. (81. Immo vide l. 24. sup. de negot. gest. (82. l. 20. in fin. inf. h. t. l. 34. §. 1. inf. de acq. vel amitt. poss. (83. l. 5. in fin. l. 6. in pr. sup. §. 5. Inst. de rer. divis. l. 50. inf. h. t. (84. Adde l. 30. in fin. inf. eod. l. 10. sup. de rer. divis.

ejus, in cuius potestatem pervenerunt, dominii suat. §. 1. Illud videndum est, sublato edificio, quod in litore positum erat, cuius conditionis is locus sit: hoc est, utrum maneat ejus, cuius fuit edificium, an rursus in pristinam causam recidit; perindeque publicus sit, ac si numquam in eo edificatum fuisset: quod 85 propius est, ut existimari debeat: si modo recipit pristinam litoris speciem.

*De edificio in ripa posito.*

15. IDEM (lib. 5. Regularum.)

**Q**ui autem in ripa fluminis edificat, non suum facit. 86

*De agris limitatis, & his, qui hostibus devictis ea conditione concessi sunt, ut in civitatem venirent.*

16. FLORENTINUS (lib. 6. Institutionum.)

**I**n agris limitatis jus alluvionis locum non habere constat: idque & Divus Pius constituit. Et Trebatius ait, agrum, qui, hostibus devictis, ea conditione concessus sit, ut in civitatem veniret, habere alluvionem, neque esse limitatum: agrum autem manucaptum, limitatum fuisse: ut sciretur, quid cuique datum esset, quid venisset, quid in publico relictum esset.

*De servo communi.*

17. ULPIANUS (lib. 1. ad Sabinum.)

**S**i duo domini servo communi rem tradiderint, acquirunt 87 alteri ab altero.

*De servo hereditario.*

18. IDEM (lib. 4. ad Sabinum.)

**P**er hereditarium 88 servum, quod est ejusdem hereditatis, heredi acquiri non potest: & maxime ipsa hereditas.

*De libero homine bona fide serviente.*

19. POMPONIUS (lib. 3. ad Sabinum.)

**L**iber homo, qui bona fide mihi servit, id, quod ex operis suis, 89 aut ex re mea pararet, ad me pertinere sine dubio, Aristo ait; quod vero quis ei donaverit, aut ex negotio gesto adquisierit, ad ipsum pertinere. † Sed hereditatem legatumve non acquiri mihi per eum: quia neque ex re mea, neque ex operis suis id sit; nec ulla ejus opera esset in legato: in hereditate aliquatenus, quia per ipsum adiretur; quod & Varius Lucillum aliquando dubitasse: sed verius esse, non acquiri, etiam si testator ad me voluisset pertinere. Sed licet ei minime acquirat, attamen, si voluntas evidens testatoris appareat, restituendam esse ei hereditatem. Sed Trebatius, si liber homo bona fide serviens, jussu ejus, cui serviet, hereditatem adiisset, heredem ipsum fieri: nec interesse, quid senserit, sed quid fecerit. Labeo contra, si ex necessitate id fecisset: quod si ita, ut & ipse vellet, ipsum fieri heredem.

*De traditione. 2. De acquisitione per liberam personam.*

20. ULPIANUS (lib. 29. ad Sabinum.)

**T**raditio nihil 90 amplius transferre debet, vel potest ad eum, qui accipit, quam est apud eum, qui tradit: Si igitur quis dominium in fundo habuit, id tradendo 91 transfert: si non habuit, ad eum, qui accipit, nihil 92 transfert. §. 1. Quotiens autem dominium transfertur ad eum, qui accipit, tale transfertur, quale fuit apud eum, qui tradit: si servus fuit fundus, cum servitutibus transit 93; si liber, uti fuit: & si forte servitutes debebantur fundo, qui traditus est, cum jure servitutum debitarum transfertur. Si quis igitur fundum dixerit liberum, cum traderet eum, qui servus sit, nihil juris servitutis fundi detrahit: veruntamen obligat (que) se, debetque præstare, quod dixit. §. 2. Si ego & Titius rem emerimus, eaque Titio, & quasi meo procuratori tradita sit, puto, mihi quoque quæsitum dominium: quia placet, per liberam personam omnium rerum possessionem 94 quæri posse, & per hanc dominium.

*De eo, qui bona fide servit. 1. De alienante rem quam non possidet.*

21. POMPONIUS (lib. 11. ad Sabinum.)

**S**i servus meus tibi bona fide 95 serviret, & rem emisset, traditaque ei esset: Proculus, nec meam fieri, quia servum non possideam; nec tuam, si non ex re tua sit parata. Sed si liber bona

(85. l. 6. in pr. sup. d. t. (86. arg. l. 5. in fin. pr. sup. d. t. junct. l. 7. §. 12. sup. h. t. (87. l. 8. §. 2. inf. de acceptil. (88. l. 43. sup. de acquir. vel amitt. hered. l. 1. §. 16. inf. de acquir. vel amitt. possess. (89. l. 23. in pr. inf. h. t. §. 4. Inst. per quas person. cuique. (90. l. 67. sup. de contrah. emt. l. 3. in fin. sup. de pignorib. l. 54. l. 120. inf. de reg. jur. (91. l. 9. §. 3. sup. h. t. (92. Immo vide l. 46. inf. eod. (93. l. 23. §. 2. sup. de servit. præd. rustic. l. 67. sup. de contrah. emt. l. 3. C. de servit. l. 12. C. de distract. pigno. (94. l. 13. in fin. sup. l. 53. inf. h. t. l. 11. §. 6. sup. de pignor. act. l. 7. §. 20. l. 2. l. 9. l. 34. §. 1. inf. de acquir. vel amitt. poss. l. 8. C. de acquir. & retin. poss. §. 4. Inst. per quas person. cuique. (95. l. 19. sup. h. t. t. fide



fide tibi serviens emerit, ipsius fieri. §. 1. Si rem meam possideas, & eam velim tuam esse: fiet tua, quamvis 96 possessio apud me non fuerit.

*De servo vi, clam, vel precario possessore.*

22. ULPIANUS (lib. 40. ad Sabinum.)

Nemo servum vi 97 possidens, aut clam, aut precario, per hunc stipulantem, vel rem accipientem potest acquirere.

*De eo, qui bona fide servit.*

23. IDEM (lib. 43. ad Sabinum.)

Qui bona 98 fide alicui serviat, sive servus alienus est, sive homo liber est: quicquid ex re ejus, cui servit, acquirit, ei acquirit, cui bona fide servit. † Sed & si quid ex operis suis adquisierit, simili modo ei acquirit: nam & opera quodammodo ex re ejus, cui servit, habentur: quia jure operas ei exhibere debet cui bona fide servit. §. 1. Tandiu autem acquirit, quamdiu bona fide servit; ceterum si coeperit scire, esse eum alienum, vel liberum: videamus, an ei acquirit? Quæstio in eo est, utrum initium spectamus, an singula momenta? & magis est, ut singula momenta 99 spectemus. §. 2. Generaliter dicendum est, quod ex re sua, hoc est ejus, cui bona fide quis servit, ei acquirere non potest, sibi eum adquisiturum: quod autem non ex re ejus sibi acquirere non potest, ei adquisiturum, cui bona fide servit. §. 3. Si quis duobus bona fide serviat: utrique acquireret, sed singulis ex re sua. Quod autem ex re alterius est, utrum pro parte ei, cui bona fide servit, pro parte domino, si servus sit, aut si liber sit, ei, (cui bona fide servit): an vero ei debeat acquirere totum, ex cuius re est, videamus? quam speciem Scævola quoque tractat lib. II. Quæstionum: ait enim, si alienus servus duobus bona fide serviat, & ex unius eorum re acquirat; rationem facere, ut ei 100 dumtaxat 101 in solidum acquirat: sed si adjiciat ejus nomen, ex cuius re stipulatur: nec dubitandum esse ait, quin ei soli acquiratur, quia & si ex re ipsius stipularetur, alteri ex dominis nominatim stipulando (solidum) ei acquireret. Et in inferioribus (probat): ut, quamvis non nominatim, nec jussu meo, ex re tamen mea stipulatus sit, cum pluribus bona fide serviret: mihi soli acquirat: nam & illud receptum est, ut quotiens communis servus omnibus acquirere non potest; ei 102 soli eum acquirere, cui potest, & hoc Julianum quoque scribere, sæpe retuli: eoque jure utimur.

*De specificatione.*

24. PAULUS (lib. 14. ad Sabinum.)

In omnibus, quæ ad eandem 103 speciem reverti (non) possunt dicendum est, si materia manente species dumtaxat forte mutata sit, (veluti si (ex) meo ære statuam, aut argento scyphum fecisses), me eorum dominum manere.

25. CALLISTRATUS (lib. 2. Institutionum.)

Nisi voluntate domini alterius nomine id factum sit; propter consensum enim domini tota res ejus fit, cuius nomine facta est.

1. De accessione. 2. De arbore alio translata. 3.

*De lana purpurata.*

26. PAULUS (lib. 14. ad Sabinum.)

Sed si meis tabulis navem fecisses, tuam 104 navem esse: quia cupressus non maneret, sicuti nec lana vestimento facta: sed cupressum aut laneum corpus fieret. §. 1. Proculus indicat, hoc jure nos uti, quod Servio & Labeoni placuisset: in quibus propria qualitas expectaretur, si quid additum erit, totò cedit 105: ut statua pes, aut manus; Scypho fundus 106, aut ansa 107, lecto fulcrum 108; navi tabula 109; ædificio cæmentum 110: tota enim ejus sunt, cuius ante fuerant. §. 2. Arbor radicitus eruta, & in alio posita, priusquam coaluerit, prioris domini est: ubi coaluit 111, agro cedit: & si rursus eruta sit, non ad priorem dominum revertitur: nam credibile est, alio terræ alimento aliam

factam. §. 3. Si meam lanam feceris purpuram, nihilominus meam esse Labeo ait: quia nihil interest inter purpuram, & eam lanam, quæ in lutum aut cænum cecidisset, atque ita pristinum colorem perdidisset.

*De accessione, plumbatione, ferruminatione. 1. De medicamentorum, & unguentorum confectio. 2. De ferruminatione.*

27. POMPONIUS (lib. 30. ad Sabinum.)

Quidquid (in) facto argento alieni argenti addideris: non esse tuum totum argentum 112, fatendum est; at contra, si tuum scyphum alieno plumbo plumbaveris, alienove argento ferrumina-veris, non dubitatur, scyphum tuum esse, & a te recte vindicari. §. 1. Ubi simul plura contribuuntur, ex quibus unum medicamentum fit, aut coctis odoribus unguenta facimus: nihil hic suum vere dicere potest prior dominus; quare potissimum existimari ejus nomine factum sit, ejus esse. §. 2. Cum partes duorum minorum ferrumine cohereant, hæ, cum quæreretur, utri cedant; Cassius ait, pro portione rei æstimandum, vel pro pretio cujusque partis. Sed si neutra alteri accessioni est, videamus, ne aut utriusque esse dicenda sit, sicuti massa confusa, aut ejus, cuius nomine ferruminata est? Sed Proculus, & Pegasus existimant, suam cujusque rem manere.

*De ædificato supra parietem vicini.*

28. IDEM (lib. 33. ad Sabinum.)

Si supra tuum parietem vicinus ædificaverit, proprium (ejus) id, quod ædificaverit, fieri, Labeo & Sabinus ajunt. Sed Proculus, tuum proprium; quemadmodum 113 tuum fieret, quod in solo 114 tuo alius ædificasset, quod verius est.

*De insula.*

29. PAULUS (lib. 16. ad Sabinum.)

Inter eos, qui secundum unam ripam prædia habent, insula in flumine nata, non pro indiviso communis fit, sed 115 regionibus quoque divisit: quantum enim ante cujusque eorum ripam est, (tantum), veluti linea in directum per insulam transducta, quisque eorum in eo habebit certis regionibus.

1. De ripa fluminis, & arbore ibi nata & alveo. 2. De insula & alveo. 3. De inundatione, & natura fluminis. 4. De ædificatis in mari.

30. POMPONIUS (lib. 34. ad Sabinum.)

Ergo si insula nata adcreverit fundo meo, & inferiorem 116 partem fundi vendidero, ad cuius frontem insula non respicit: nihil ex ea insula pertinebit ad emptorem. eadem ex causa, qua 117 nec ab initio quidem ejus fieret, si jam tunc, cum insula nasceretur, ejusdem partis dominus fuisset. §. 1. Celsus filius; si in ripa fluminis, quæ secundum agrum meum sit, arbor nata sit, meam 118 esse ait; quia solum ipsum meum privatum est, usus autem ejus publicus 119 intelligitur: & ideo, cum exsiccatus esset alveus, proximorum fit: quia jam populus eo non utitur. §. 2. Tribus modis insula in flumine fit; uno, cum 120 agrum, qui alvei non fuit, annis circumfluit; altero, cum locum, qui alvei esset, sicum relinquit & circumfluere cœpit; tertio, cum paulatim colluendo locum eminentem supra alveum fecit, & eum alluendo auxit. Duobus posterioribus modis privata insula fit ejus, cuius ager propior fuerit, cum primum exstitit: nam & natura fluminis hæc est, ut cursu suo mutato, alvei causam mutet: nec quicquam interfit, utrum de alvei dumtaxat solo mutato, an de eo, quod superfusum solo & terræ sit, quaratur? utrumque enim ejusdem generis est. Primo autem illo modo causa proprietatis non mutatur. §. 3. Alluvio 121 agrum restituit eum, quem impetu fluminis totum abstulit. Itaque si ager, qui inter viam publicam & flumen fuit, inundatione fluminis occupatus esset, (sive paulatim occupatus est, sive non paulatim), sed eodem impetu recessu fluminis restitutus, ad pristinum dominium pertinet: flumina enim censitorum vice funguntur, ut ex privato in publicum adducant, & ex publico in privatum. Itaque sicuti hic fundus, cum alveus fluminis factus esset, fuisset publicus: ita nunc privatus ejus esse debet, cuius antea fuit. §. 4. Si pilas 122 in mare jactaverim, & supra eas inædificaverim: continuo ædificium meum fit. Item si insulam in mari ædificaverim, continuo mea fit, quoniam id, quod nullius sit, occupantis fit.

(96. l. 9. §. 5. supr. cod. l. 62. in pr. supr. de evict. (97. v. l. 34. in fin. inf. de stipul. servor. (98. l. 10. in pr. & §. 4. l. 19. supr. h. t. l. 1. §. 6. infr. de adquir. vel omitt. poss. l. 7. in fin. infr. pro emptore. l. 20. infr. de stipulat. servor. l. 1. in pr. C. de rei vind. Inst. per quas person. cuique, in pr. §. 1. Inst. per quas person. nobis. (99. Immo vide l. 25. in fin. supr. de usur. (100. Immo vide l. 45. infr. h. t. (101. l. 19. infr. de stipul. servor. (102. l. 25. §. 3. supr. de usufr. (103. l. 7. §. 7. supr. h. t. (104. Immo vide l. 61. supr. de rei vind. (105. l. 23. §. 2. & 5. supr. d. t. (106. d. §. 2. (107. Adde l. 21. §. 4. infr. de furt. (108. arg. l. 52. in fin. supr. de legat. 3. (109. l. 61. supr. de rei vind. §. 25. Inst. de rer. divis. (110. l. 23. §. 7. l. 39. in pr. supr. de rei vind. (111. l. 7. §. ult. supr. h. t. l. 5. §. 3. supr. de rei vind. l. 9. §. 2. supr. de damno infect. §. 31. Inst. de rer. divis.)

(112. l. 3. §. ult. supr. de rei vind. (113. l. 2. C. d. t. (114. l. 39. in pr. supr. d. t. l. 15. in pr. supr. de usufr. (115. l. 1. §. 6. infr. de fluminib. §. 22. Inst. de rer. divis. (116. Adde l. 56. in pr. inf. h. t. (117. Adde l. 52. in fin. supr. de ad. emt. (118. l. 5 in fin. pr. supra §. 4. in fin. Inst. de rer. divis. (119. d. §. 4. (120. l. 7. §. 4. supr. h. t. (121. Adde l. 38. infr. cod. (122. l. 3. §. 1. infr. ne quid in loco publico.



*De nuda traditione. 1. De thesauro.*

31. PAULUS (lib. 31. ad Edictum.)

Numquam nuda traditio transfert dominium: sed ita, si venditio 123, aut aliqua iusta causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur. §. 1. *Thesaurus* est vetus quædam depositio pecuniæ 124, cuius non exstat memoria, ut iam dominum non habeat. Sic enim fit ejus qui invenerit, quod non alterius fit. Alioquin si quis aliquid vel lucri causa, vel metus, vel custodia, condiderit sub terra, non est thesaurus: cuius etiam furtum fit.

*De acquisitione per servos.*

32. GAJUS (lib. 11. ad Edictum provinciale.)

Etiam 125 invitis 126 nobis per servos acquiritur pene ex omnibus causis.

*De servo peculii castrensis. 1. De re castrensi subtrahæ.*

2. *De servo hereditario.*

33. ULPIANUS (lib. 4. Disputationum.)

In eo, quod servo castrensi 127 ante aditam hereditatem filiifamilias militis legatur: vel eo, quod stipulatur servus, tractatur apud Marcellum libro xx. ex cuius persona vel stipulatio vires habeat, vel legatum; & puto verius, quod & Scævola videtur, & ipse Marcellus tractat: si quidem adeatur hereditas, omnia ut in hereditario servo; si adita non sit, ut in proprio patris, esse spectanda. Et si ususfructus fuerit huic servo relictus, modo parari videri delatum, modo heredi: nec a persona in personam creditur transisse. §. 1. Eadem distinctione quis utetur, etiam si res fuerit subtrahæ, aut cessare, aut non, furti actionem dicit, si ex testamento adierit: quoniam hereditati furtum non fit, aut, si non adierit, patri dabitur furti actio: nam & conditio §. 2. Quotiens servus hereditarius stipulatur, vel per traditionem accipit, ex persona defuncti vires consumit, ut Juliano placet: cuius & valuit sententiæ, testantis personam spectandam esse, opinantis.

*De hereditate.*

34. IDEM (lib. 4. De Censibus.)

Hereditas enim non heredis personam, sed 128 defuncti sustinet, ut multis argumentis Juris Civiles comprobatum est.

*De errore tradentis.*

35. IDEM (lib. 7. Disputationum.)

Si procurator meus vel tutor pupilli, rem suam, quasi meam, vel pupilli, alii tradiderint: non recessit ab eis dominium, & nulla est alienatio; quia nemo errans 129 rem suam emittit.

*De consensu in corpore, & dissensu in causa traditionis.*

36. JULIANUS (lib. 13. Digestorum.)

Cum in corpus quidem, quod traditur, consentiamus, in causis vero dissentiamus: non animadverto, cur inefficax sit traditio. Veluti si ego credam, me ex testamento tibi obligatum esse, ut fundum tradam, tu existimes, ex stipulatu tibi eum deberi. † Nam & si pecuniam numeratam tibi tradam donandi gratia, tu eam quasi creditam accipias: constat, proprietatem ad te transire 130; nec impedimento esse, quod circa causam dandi, atque accipiendi dissenserimus.

*De servo pignerato. 1. De servo communi. 4. De servo unius. 5. De servo fructuario. 6. De servo communi. De procuratore.*

37. IDEM (lib. 44. Digestorum.)

Per servum, qui pignori 131 datus est, creditori nec possessio acquiritur: quia nec stipulatione, nec mandatione, nec ullo alio modo per eum servum quicquam ei acquiritur, quamvis possessio penes eum sit. §. 1. Si unus ex dominis servo communi pecuniam donavit, in potestate domini est, quemadmodum 132 servo communi pecuniam donet, nam si hoc solum egerit, ut ea separaretur a suis rationibus, & in peculio servi sit: manebit ejusdem domini proprietatis: si vero eo modo pecuniam servo communi donaverit, quo modo alienis servis donare solemus: fiet sociorum communis pro portione, quam in servo habebunt. §. 2. Sed, ut sequens quaestio locum habeat, constituamus socium ita servo communi pecuniam donasse, ut proprietatem suam manere vellet: si ex hac pecunia servus fundum comparaverit, erit is fun-

us communis sociorum pro 133 portione domini. Nam & si furtivis nummis servus communis fundum comparaverit, sociorum erit pro portione domini. † Neque enim ut fructuarius servus ex re fructuarii non acquirit proprietario, ita & communis servus ex re alterius domini non acquirit alteri domino: sed quemadmodum in his, quæ aliunde acquiruntur, diversa conditio est fructuarii, & servi communis, (veluti cum alter fructuario non acquirat, alter dominis acquirat): ita quod ex re quidem fructuarii adquisitum fuerit, ad eum solum pertinebit, quod ex re alterius domini servus communis adquisierit, ad utrumque dominum pertinebit. §. 3. Sicut servus communis stipulando nominatim 134 alteri ex dominis, ita per traditionem accipiendo, soli ei acquirit. §. 4. Quod unius servus, per traditionem accipiendo, se accipere dixerit domino & Titio, partem domino acquireret, in parte nihil agit. §. 5. Fructuarius servus, si 135 dixerit, se domino proprietatis per traditionem accipere ex re fructuarii, totum domino acquireret: nam & sic stipulando ex re fructuarii, domino proprietatis acquireret. §. 6. Si cum mihi donare 136 velles, iusserim te servo communi meo & Titii rem tradere, isque hac mente acciperet, ut rem Titii faceret: nihil agatur. Nam & si procuratori meo rem tradideris, ut meam faceres, is hac mente acceperit, ut suam faceret: nihil agatur. † Quod si servus communis hac mente acceperit, ut duorum dominorum faceret, in parte alterius domini nihil agatur.

*De agro, & via publica a flumine sublatis, deinde relictis.*

38. ALFENUS VARUS (lib. 4. Digestorum a Paulo epitomatorum.)

Attius fundum habebat secundum viam publicam, ultra viam flumen erat, & ager Lucii Titii: (fluit) flumen paulatim: primum omnium agrum, qui inter viam & flumen esset, ambedit, & viam sustulit: postea rursus minutatim recessit, & alluvione 137 in antiquum locum rediit. Respondit, cum flumen agrum & viam publicam sustulisset, eum agrum ejus factum esse, qui trans flumen fundum habuisset: postea cum paulatim retro rediisset, admisse ei, cujus factus esset: & addidisse ei, cujus trans viam esset: quoniam ejus fundus proximus flumini esset. Id autem, quod publicum fuisset, nemini accessisse; nec tamen impedimento viam esse (ait), quo minus ager, qui trans viam alluvioni relictus est, Attii fieret: nam ipsa quoque via fundi esset.

*De servo furtivo bona fide emto.*

39. JULIANUS (lib. 3. ex Minicio.)

Etiam furtivus servus bonæ fidei emtori acquirit, quod ex re ejus stipulatur, aut per traditionem accipit.

*De bonæ fidei possessore.*

40. AFRICANUS (lib. 7. Quaestionum.)

Quæsitum est, si is, cui liber homo bona fide serviret, decesserit, eique is heres existerit, qui liberum eum esse sciat: an aliquid per eum acquirat? Non esse ait, ut hic bona fide possessor videatur, quando sciens 138 liberum possidere cœperit; quia, & si fundum suum quis legaverit, heres, qui eum legatum esse sciat, procul dubio fructus ex eo suos non faciet: & multo magis si testator eum alienum bona fide emtum possedit, & circa servorum igitur operam, ac ministerium eandem rationem sequendam: ut sive proprii, sive alieni, vel legati, vel manumissi testamento fuerint, nihil per eos heredibus, qui modo eorum id non ignorarent, acquiratur: etenim simul hæc fere cedere, ut quo casu fructus prædiorum consumptos 139 suos faciat bona fide possessor, eodem per servum ex opera & ex re ipsius ei acquiratur.

*De statuis in civitate positis.*

41. ULPIANUS (lib. 9. ad Edictum.)

Statuas in civitate positas, civium non esse: idque Trebatius & Pegasus: dare tamen operam Prætorum oportere, ut, quod ea mente in publico positum est, ne liceret privato 140 auferre, nec ei, qui posuerit; tuendi ergo cives erunt & adversus (petentem exceptione, & actione adversus) possidentem juvandi.

*De substitutione.*

42. PAULUS (lib. 11. ad Edictum.)

Substitutio, quæ nondum competit, extra bona nostra est.

(123. l. 3. §. 10. sup. de donat. inter vir. & ux. (124. Adde. l. un. C. de thesaur. (125. l. 62. inf. de verb. oblig. §. 3. Inf. per quas person. cuique. (126. Immo vide l. 19. §. 2. sup. de donat. (127. l. 14. §. 1. & 2. inf. de castrensi pecul. (128. l. 31. §. 1. sup. de hered. instit. (129. l. 18. C. de rei vind. (130. Immo vide l. 18. in pr. sup. de reb. cred. (131. l. 10. §. 15. inf. de acquir. vel amitt. possess. (132. Adde l. 49. inf. h. t. l. 16. in fin. sup. de usu & habit. l. 16. sup. de pecul.)

(133. l. 45. inf. h. t. (134. l. 5. inf. de stipul. servor. (135. l. 25. §. 6. sup. de usufr. (136. l. 13. sup. de donat. (137. l. 7. §. 5. l. 30. sup. h. t. (138. l. 25. in pr. sup. de usur. (139. l. 4. §. 19. inf. de usurp. & usucap. §. 35. inf. de rer. divis. (140. l. 29. inf. de reb. auct. judic. possid.)



*De servo bona fide possesso. 1. De rebus incorporalibus.*

2. *De servo fructuario.*

43. GAJUS (lib. 7. ad Edictum provinciale.)

**S**ervus, qui bona fide possidetur, id, quod 141 ex re alterius est, possessori non acquirit. §. 1. Incorporales res traditionem, & usucapionem 142 non recipere, manifestum est. §. 2. Cum servus, in quo alterius ususfructus est, hominem emit, & ei traditus sit: antequam pretium solvat, in pendentem 143 est, cui proprietatem adquisierit: & cum ex peculio, quod ad fructuarium pertinet, solverit; intelligitur fructuarii homo fuisse; cum vero ex (eo) peculio, quod proprietarium sequitur, solverit; proprietarii ex postfacto fuisse videtur.

*De ereptis a bestiis. De naufragio.*

44. ULPIANUS (lib. 19. ad Edictum.)

**P**omponius tractat, cum pastori meo lupi porcos eriperent, hos vicinæ villæ colonus cum robustis canibus & fortibus, quos pecoris sui gratiâ pascebat, consecutus, lupis eripuit, aut canes extorserunt: & cum pastor meus peteret porcos, quærebarur, utrum ejus facti sint porci, qui eripuit, an nostri maneant? nam genere quodam venandi id erant nacti: cogitabat tamen, quemadmodum 144 terra marique capta, cum in suam naturalem laxitatem pervenerant; desinerent eorum esse, qui ceperunt: ita ex bonis quoque nostris capta a bestiis marinis & terrestribus, desinant nostra esse, cum effugerunt bestiæ nostram persecutionem; quis denique manere nostrum dicit, quod avis transvolans ex area, aut ex agro nostro transfuit? aut quod nobis eripuit? si igitur desinit, si fuerit ore bestiæ liberatum, occupantis erit: quemadmodum piscis, vel aper, vel avis, cum potestatem nostram evasit, si ab alio capiatur, ipsius sit. Sed putat potius, nostrum manere tamdiu, quamdiu recuperari possit: licet in avibus, & piscibus, & feris verum sit, quod scribit. † Idem ait, & si naufragio 145 quid amissum sit, non statim nostrum esse desinere: denique quadruplo 146 teneri eam, qui rapuit. † Et sane melius est dicere & quod a lupo eripitur, nostrum manere, quamdiu 147 recipi possit id, quod ereptum est. Si igitur manet, ego arbitror, etiam furti competere actionem; licet enim non animo furandi fuerit colonus persecutus, quamvis & hoc animo potuerit esse: sed & si non hoc animo persecutus sit: tamen, cum reposcenti non reddit, suppressere & intercipere videtur: quare & furti, & ad exhibendum teneri eum arbitror; & vindicari, exhibitio, ab eo porcos posse.

*De servo communi.*

45. GAJUS (lib. 7. ad Edictum provinciale.)

**C**ommunis servus, si ex re alterius dominorum adquisierit, nihilominus commune id erit: sed is, ex cujus re adquisitum fuerit, communi 148 dividendo iudicio eam summam percipere potest: nam fidei bonæ convenit, ut unusquisque præcipuum habeat, quod ex re ejus servus adquisierit: (sed si aliunde 149 servus communis adquisierit: ) omnibus sociis pro parte domini hoc acquiritur.

*De non domino præbente dominium.*

46. ULPIANUS (lib. 65. ad Edictum.)

**N**on est novum 150, ut qui dominium non habeat, alii dominium præbeat. Nam & creditor, pignus vendendo, causam domini præstat, quam ipse non habuit 151.

*De servo fructuario.*

47. PAULUS (lib. 50. ad Edictum.)

**F**ructuario 152 hereditas adquiri non potest, quod in operis servi hereditas non 153 est.

*De bonæ fidei emtore, & fructibus, & usucapione.*

48. IDEM (lib. 7. ad Plautium.)

**B**ona 154 fidei emtor non dubie percipiendo fructus etiam ex aliena 155 re, suos interim facit, non tantum eos, qui diligentia & opera ejus pervenerunt, sed omnes 156: quia, quod ad fructus attinet, loco 157 domini pene est. Denique etiam priusquam percipiat, statim ubi a solo separati sunt, bonæ fidei

emtoris 158 fiunt. † Nec interest ea res, quam bona fide emi longo tempore capi possit, necne; veluti si pupilli sit, aut vi 159 possessa, aut Prædidi contra Legem repetundarum donata, ab eo, que abalienata sit bonæ fidei emtori. §. 1. In contrarium quæritur, si eo tempore, quo mihi res traditur, putem venditum esse, deinde cognovero alienam esse: quia perseverat per longum tempus capio, an fructus meos faciam? Pomponius, verendum, ne 160 non sit bonæ fidei possessor, quamvis capiat; hoc enim ad jus, id est capionem; illud ad factum pertinere, ut (si) quis bona aut mala fide possideat. † Nec contrarium est, quod longum tempus currit: nam e contrario is, qui non potest capere propter rei vitium, fructus suos facit. §. 2. Et ovium foetus in fructu sunt, & ideo ad bonæ fidei emtorem pertinent, etiam si prægnantes venierint, vel subrepta sint. † Et sane, quin lac suum faciat, quamvis plenis uberibus venierint, dubitari non potest. Idemque in lana 161 juris est.

*De servo fructuario. De homine libero, qui bona fide servit.*

49. IDEM (lib. 9. ad Plautium.)

**Q**uod fructuarii ex re sua donat 162, ex re ejus est: sed si eo animo id fecerit, ut ad proprietatis dominum pertineat; dicendum est, illi adquiri: si autem extraneus ei donet, indistincte soli proprietario acquiritur. Eadem dicemus in homine libero, qui bona fide mihi servit: ut si ei aliquid donaverim, meum sit. Et ideo Pomponius scribit, quamvis donaverim ei operas suas: tamen quidquid ex operis suis acquirat, mihi acquiritur.

*De extruptione in litore publico, vel in mari.*

50. POMPONIUS (lib. 6. ex Plautio.)

**Q**uamvis quod in litore 163 publico vel in mari extruxerimus, nostrum 164 fiat, tamen decretum Prætoris adhibendum est, ut id facere liceat; imo etiam manu prohibendum est, si 165 cum incommodo ceterorum id faciet: nam, civilem eum actionem de faciendo nullam habere, non dubito.

*De transfuga. 1. De rebus hostilibus.*

51. CELSUS (lib. 2. Digestorum.)

**T**ransfugam jure belli recipimus. §. 1. Et quæ res hostiles apud nos sunt, non publicæ, sed occupantium 166 fiunt.

*Quid sit habere in bonis.*

52. MODESTINUS (lib. 7. Regularum.)

**R**em in bonis nostris habere intelligimur, quoties possidentes, exceptionem; aut amittentes, ad recuperandam eam actionem 167 habemus.

*Per quas personas nobis acquiritur.*

53. IDEM (lib. 14. ad Quintum Mucium.)

**E**a, quæ civiliter acquiruntur, per eos 168, qui in potestate nostra sunt, adquirimus; veluti stipulationem: quod naturaliter acquiritur, sicuti est possessio 169, per quemlibet volentibus nobis possidere adquirimus.

54. IDEM (lib. 31. ad Quintum Mucium.)

**H**omo liber hereditatem nobis acquirere non potest; qui bona fide nobis servit, acquirat 170: si tamen sponte sua sciens conditionem suam adierit: nam si jussu nostro adierit, neque sibi, neque nobis acquirat, si non habuerit animum sibi acquirendi: quod si eam mentem habuit, sibi acquirit. §. 1. Item promittendo nobis liber 171 homo, qui bona fide nobis servit, ut emendo, vel vendendo, vel locando, vel conducendo, obligari ipso jure poterit. §. 2. Sed damnum 172 dando, damni injuriæ tenebitur: ut tamen culpam in damno dando exigere debeamus graviorem, nec tamen levem, quam ab extraneo. §. 3. At, si jussu 173 nostro quid in re nostra gerant, vel absentibus nobis quasi procuratores aliquid agant: danda erit in eos actio, non solum si eos emerimus; sed etiam si donati fuerint nobis, aut ex dotis (nomine), aut ex legati pertinere ad nos cœperunt, aut ex hereditate: idem præstabitur: nec solum si nostros putaverimus, sed & si communes, aut fructuarios; ut tamen, quod ad-

(158. d. l. 25. §. 1. vers. præterea. (159. l. ult. infr. vi bonor. rapt. (160. Obi. l. 25. in fin. sup. de usur. (161. l. 4. §. 19. inf. de usurp. & usucap. (162. Adde l. 37. §. 1. sup. h. t. l. 31. sup. de usufr. (163. l. 14. in pr. sup. cod. (164. l. 1. §. 18. sup. de oper. novi nunt. l. 2. §. 8. l. 3. §. 1. inf. ne quid in loco publico. (165. v. d. l. 2. §. 10. (166. l. 5. in fin. sup. h. t. (167. l. 49. l. 143. infr. de verb. sign. l. 15. infr. de reg. jur. (168. l. 10. in pr. sup. h. t. (169. l. 20. in fin. sup. cod. (170. l. 59. in pr. sup. de hered. instit. (171. l. 118. in pr. infr. de verb. oblig. (172. l. 13. §. 1. sup. ad leg. Aquil. (173. l. 19. §. 2. sup. de negot. l. 13. §. ult. sup. commodati.

(141. l. 19. sup. h. t. (142. arg. l. 2. §. 27. inf. de usurp. & usucap. (143. l. 25. §. 1. sup. de usufr. (144. l. 3. in fin. l. 5. in pr. sup. h. t. (145. l. 21. §. 1. infr. tit. prox. (146. l. 1. in pr. infr. de incend. (147. l. 8. in fin. sup. fam. l. 1. erisc. (148. l. 19. l. 28. §. 1. inf. de stipul. servor. l. 24. in pr. sup. communi divid. (149. l. 63. §. 1. infr. h. t. (150. Immo vide l. 20. in pr. sup. cod. (151. §. 1. Inst. quib. alien. licet. (152. l. 10. §. 3. sup. h. t. (153. l. 45. in pr. sup. de acquir. vel omitt. hered. (154. §. 35. Inst. de rer. divis. (155. §. ult. infr. h. l. (156. Immo vide l. 45. sup. de usur. (157. l. 25. §. 1. sup. d. t.



quiritari non essent, si revera communes aut usuarii essent, id hodieque non adquirant. §. 4. Quidquid tamen liber homo vel alienus, quive bona fide nobis servit, non acquirit nobis, id vel tibi liber, vel alienus servus domino suo acquirit; excepto eo, quod vix est, ut liber homo possidendo usucapere possit: quia 174 nec possidere intelligitur, qui ipse possideretur; sed nec per servum alienum, quem nos bona fide possidemus, dominus peculiari nomine ignorans usucapere poterit: sicuti nec per fugitivum quidem, quem non possidet.

*De apro, qui in laqueum incidit, soluto, vel ablato.*

*De poculo alterius ex nave ejecto.*

55. PROCULUS (lib. 2. Epistolarum.)

In laqueum, quem venandi causa posueras, aper incidit; cum eo haereret, exemptum cum abstuli: num tibi videor tuum aprum abstulisse? & si tuum putas fuisse, si solum eum in silvam dimisisses: eo casu tuus esse desisset, an maneret? & quam actionem tecum haberes, si desisset tuus esse: num in factum dari oporteret (quæro)? Respondit: Laqueum, videamus, ne intersit in publico, an in privato posuerim: & si in privato posui, utrum in meo, an in alieno: & si in alieno, utrum permissu ejus, cujus fundus erat, an non permissu ejus posuerim? præterea, utrum in eo ita haerit aper, ut expedire se non possit ipse: an diutius luctando expediturus se fuerit? Summam tamen hanc puto esse, ut si in meam potestatem pervenit, meus factus sit; sin autem aprum meum ferum in suam naturalem laxitatem dimisisses, eo facto meus esse desisset, & actionem mihi in factum dari oportere: veluti responsum est, cum quidam poculum 175 alterius ex nave ejecisset.

*De insula, & alveo.*

56. IDEM (lib. 8. Epistolarum.)

Insula est enata in flumine contra frontem 176 agri mei, ita ut nihil excederet longitudo regionem prædii mei: postea aucta est paulatim, & processit contra frontes & superioris vicini, & inferioris. Quæro, quod adcrevit, utrum meum sit, quoniam meo adjunctum est: an ejus juris sit, cujus esset, si initio ea nata ejus longitudinis fuisset? Proculus respondit: flumen istud, in quo insulam contra frontem agri tui eam natam esse scripsisti, ita ut non excederet longitudinem agri tui: si alluvionis jus habet, & insula initio propior fundo tuo fuit, quam ejus, qui trans flumen habebat: tota tua facta est; & quod postea ei insulae alluvione accessit, id tuum est; etiam si ita accessit, ut procederet insula contra frontes vicinorum superioris, atque inferioris: vel etiam ut propior esset fundo ejus, qui trans flumen habet. §. 1. Item quæro, si cum propior ripæ meæ enata est insula, & postea totum flumen fluere inter me & insulam cœpit, relicto tuo alveo, quo major amnis fluxerat, numquid dabites, quin etiam insula mea maneat, & nihilominus ejus soli, quod flumen reliquit, pars fiat mea? rogo, quid sentias, scribas mihi. Proculus respondit. Si, cum propior fundo tuo initio fuisset insula, flumen, relicto alveo majore, qui inter eam insulam fuerat, & cum fundum vicini, qui trans flumen erat, fluere cœpit inter eam insulam & fundum tuum: nihilominus insula tua manet; sed alveus, qui fuit inter eam insulam, & fundum vicini, medius dividi debet: ita ut pars propior 177 insulae tuæ, tua; pars autem propior agri vicini, ejus esse intelligatur, intelligo, ut & cum ex altera parte insulae alveus fluminis exaruerit, desisset insulam esse: sed quo facilius res intelligeretur, agrum, qui insula fuerat, *insulam* appellant.

*De servo uxori donato.*

57. PAULUS (lib. 6. ad Plautium.)

Per servum donatum a marito, nec ex re quidem ejus, cui donatus est, acquiri quicquam posse, Julianus scribit: hoc enim in eorum persona concessum est, qui 178 bona fide serviunt.

*De re ex mari extracta.*

58. JAVOLENUS (lib. 11. ex Cassio.)

Quæcumque res ex mare extracta 179 est, non ante ejus incipit esse, qui extraxit, quam dominus eam pro derelicto habere cœpit.

*De re mandatu alterius emta.*

59. CALLISTRATUS (lib. 2. Quæstionum.)

Res (ex) mandatu meo emta, non prius 180 mea fiet, quam si mihi tradiderit, qui emit.

*De horreo mobili posito in alterius prædio.*

60. SCÆVOLA (lib. 1. Responsorum.)

Titius horreum frumentarium novum, ex tabulis ligneis factum, mobile in Seji prædio posuit: Quæritur, uter horrei dominus sit? Respondit secundum ea, quæ proponerentur, non esse factum Seji.

*De hereditate, & servo hereditario.*

61. HERMOGENIANUS (lib. 6. Juris Epitomatum.)

Hereditas in multis partibus juris pro 181 domino habetur, adeoque hereditati quoque, ut domino per servum hereditarium acquiritur. † In his sane, in quibus factum personæ operæve substantia desideratur, nihil hereditati quæri per servum potest: ac propterea, quamvis servus 182 hereditarius heres institui possit; tamen, quia adire jubentis domini persona desideratur, heres expectandus est. §. 1. Ususfructus, qui sine 183 persona constitui non potest, hereditati per servum non acquiritur.

*De his, quæ non sola, sed per universitatem acquiruntur.*

62. PAULUS (lib. 2. Manualium.)

Quædam, quæ non possunt sola alienari, per universitatem 184 transeunt, ut fundus dotalis, ad heredem: & res, cujus aliquis commercium non habet: nam etsi legari ei non possit, tamen heres institutus, dominus ejus efficitur.

*De thesauro.*

63. TRYPHONINUS (lib. 7. Disputationum.)

Si is, qui in aliena 185 potestate est, thesaurum invenerit: in persona ejus, cui acquirit, hoc erit dicendum: ut si in alieno agro invenerit, partem ei adquirit: si vero in parentis dominive loco invenerit, illius totus sit; (si autem in alieno, pars.) §. 1. Si communis 186 servus in alieno invenerit, utrum pro domini partibus, an semper æquis acquirat? & simile est, atque in hereditate, vel legato, vel quod ab aliis donatum servo traditur: quia & thesaurus donum fortunæ 187 creditur: scilicet ut pars, quæ inventori cedit, ad socios, pro qua parte servi quisque dominus est, pertineat. §. 2. Si communis servus in domini unius fundo proprio invenit: de parte, quæ soli domino semper cedit, non est dubium, quin solius domini prædii sit; verum, an aliquid ex parte ferat alter socius, videndum est: & numquid simile sit, atque cum stipulatur servus jussu unius domini, aut per traditionem aliquid accipit, vel nominatim 188 alteri? quod magis dici poterit. §. 3. Quod si servus, in quo ususfructus alienus est, invenerit in ejus locum, qui servum proprium habet: an totum illius sit? & si in alieno, an partem eidem adquirit, an vero fructuario? Inspectio in illo est, num ex operis servi adquiratur. Finge, terram fodientem invenisse: ut hoc dicatur fructuarii esse; quod vero subito in *abdito loco* positum, nihil agens, sed aliter ambulans invenit: proprietatis domini sit. † Ego nec illius ad fructuarium pertinere partem arbitror: nemo enim servorum opera thesaurum quærit: nec ea propter tunc terram fodiebat, sed alii rei operam infumebat, & fortuna 189 aliud dedit. † Itaque si in ipsius fructuarii agro invenerit: (puto,) partem solam, ut agri dominum habiturum: alteram ad eum, cujus in servo proprietatis est, pertinere. §. 4. Quod si creditor invenerit, in alieno videbitur invenisse; partem 190 itaque sibi, partem debitori præstabit; nec recepta pecunia restituet, quod jure inventoris, non creditoris, ex thesauro apud eum permanit. Quæ cum ita sint, & cum ex Principis 191 auctoritate creditor ut proprium agrum tenere cœpit jure domini: intra constitutum luendi tempus, *pignoris causa veritur: post transactum autem tempus, thesaurum in eo inventum ante solvendam pecuniam totum tepabit: oblato vero intra constitutum tempus debito, quoniam universa præstantur, atque in simplici petitore revocantur: restitui debet, sed pro parte sola: quia dimidium inventori semper placet relinqui.*

(180. Immo vide L. 65. in pr. infr. h. t. (181. l. 31. in fin. supr. de hered. instit. (182. l. 52. supr. d. t. (183. l. 26. infr. de stipul. serv. (184. l. 38. §. 3. 4. 5. l. 93. in pr. sup. de legat. 3. l. 1. §. 1. sup. de fundo dotali. Nov. 159. c. 3. (185. l. 10. in pr. sup. h. t. (186. l. 45. in fin. sup. eod. (187. §. 3. in fin. infr. hic. l. un. post pr. C. de thesaur. (188. l. 37. §. 3. supr. h. t. (189. §. 1. in fin. sup. h. t. (190. l. un. circa fin. C. de thesaur. §. 39. vers. at si quis in alieno. Inf. de rer. divis. (191. l. 2. ult. C. de jure domin. imper.

*De dedu-*

(174. l. 118. inf. de reg. jur. (175. l. 14. §. 2. sup. de præscr. verb. (176. Adde l. 30. in pr. sup. h. t. (177. l. 7. §. 5. l. 30. §. 1. sup. eod. §. 23. Inst. de rer. divis. (178. l. 1. C. de rei vind. (179. l. 13. in pr. infr. tit. prox.



De deductione in censum.

64. QUINTUS MUCIUS SCÆVOLA ( lib. singul. )

C. p. 192

Quæ quisque aliena 192 in censum deducit, nihilo magis ejus fiunt.

De epistola. 1. De insula.

65. LABEO ( lib. 6. Pithanon a Paulo Epitomatorum. )

Si epistolam tibi misero, non erit ea tua, an equam tibi reddita fuerit; Paulus: imo contra 193; nam si miseris ad me tabellarium tuum, & ego rescribendi causa literas tibi misero: simul atque tabellario tuo tradidero, tuæ fient. † Idem accidet in his literis, quas tuæ dumtaxat rei gratia misero, veluti, si petieris a me, uti te alicui commendarem, & eas commendatitias tibi misero literas. §. 1. Si qua insula in flumine propria tua est, nihil in ea publici est; Paulus: Imo in eo genere insularum ripæ flumini, & litora mari proxima publica 194 sunt, non secus atque in continenti agro idem juris est. §. 2. Si qua insula in flumine publico, proxima tuo fundo nata est: ea tua est. Paulus: videamus, ne hoc falsum sit de ea insula, quæ non ipsi alveo fluminis cohæret, sed virgultis, aut alia qualibet levi materia ita sustinetur in flumine, ut solum ejus non tangat, atque ipsa moveatur: hæc enim propemodum publica, atque ipsius fluminis est insula. §. 3. Paulus: si insula in flumine nata tua fuerit, deinde inter eam insulam, & contrariam ripam alia insula nata fuerit: mensura eo nomine erit instruenda a tua insula, non ab agro tuo, propter quem ea insula tua facta fuerit; nam quid interest, qualis ager sit, cujus propter propinquitatem posterior insula, cujus sit, quaratur? §. 4. Labeo lib. eodem: Si id, quod in publico innatum, aut adificatum est, publicum est: insula quoque, quæ in flumine publico nata est, publica esse debet 195.

De parva ancilla.

66. VENULEJUS ( lib. 6. Interdictorum. )

Cum prægnans mulier legata, aut ufucapta, aliove quo modo alienata pariat: ejus 196 fient partus, cujus est ea, cui emeretur; non cujus tunc fuisset, cum conciperet.

## TIT. II.

## DE ACQUIRENDA I, VEL AMITTENDA POSSESSIONE.

Etymologia. 1. Effectus. 2. Per quas personas acquiritur. 3. De acquisitione per nosmet ipsos. 4. De pupillo, & furioso. 5. De donatione inter virum, & uxorem. 6. De bona, vel mala fide possessis. 7. De servo communi. 8. De servo fructuario. 9. De intellectu possidendi. 10. De furioso. 11. De impubere. 12. De ancilla. 13. De servo pupilli. 14. De servo, qui in fuga, vel provincia est. 15. De servo pignorado. 16. De servo hereditario, vel emto, vel donato. 17. De servo prælegato. 18. De servo communi. 19. De animo servi. 20. De procuratore, tutore, curatore. 21. De procuratore. De re præsentis. 22. De municipibus.

1. PAULUS ( lib. 54. ad Edictam. )

Posse appellata est (ut & Labeo ait) a sedibus, quasi positio: quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit: quam Græci κατοχὴν dicunt. §. 1. Dominiumque rerum ex naturali possessione cœpisse, Nerva filius ait: ejusque rei vestigium remanere de his 2, quæ terra, mari, coeloque capiuntur: nam hæc protinus eorum fiunt, qui primi possessionem eorum apprehenderint. † Item bello 3 capta, & insula 4 in mari enata, & gemmæ 5, lapilli, margaritæ in litoribus inventæ, ejus fiunt, qui primus eorum possessionem nactus est. §. 2. Adipiscimur autem possessionem per nosmetipsos. §. 3. Furiosus 6 & pupillus 7 sine tutoris auctoritate non potest incipere possidere: quia affectionem tenendi non habent, licet maxime corpore suo rem contingant: sicuti si quis dormienti aliquid in manu ponat. Sed pupillus tutore auctore incipit possidere. Osilius quidem, & Nerva filius, etiam sine tutoris auctoritate possidere incipere posse pupillum ajunt: eam enim rei facti, non 8 juris esse: quæ sententia recipi potest, si 9 ejus 10 ætatis sint, ut in-

tellectum 11 capiant. §. 4. Si vir uxori cedat possessione 12, donationis causa, plerique putant possidere eam: quoniam res facti 13 infirmari Jure Civili non potest, & quid attinet dicere, non possidere mulierem, cum maritus, ubi noluit possidere, protinus amiserit possessionem? §. 5. Item acquirimus possessionem per servum 14, aut filium 15, qui in potestate est, & quidem earum rerum, quas peculiariter tenent, etiam ignorantes, sicut Sabino, & Cassio, & Juliano placuit: quia nostra voluntate intelligantur possidere, qui ejus peculium habere permiserimus. † Igitur ex causa peculiari & infans, & furiosus 16 acquirunt possessionem, & ufucapiunt: & heres, si hereditarius servus emat. §. 6. Sed & per eum, quem bona 17 fide possidemus, quamvis alienus sit, vel liber, possessionem acquirimus. † (Quod) si mala 18 fide eum possideamus, non puto acquiri nobis possessionem per eum. Sed nec vero domino, aut sibi acquirat, qui 19 ab alio possidetur. §. 7. Per communem, sicut per proprium, acquirimus etiam singuli in solidum, si hoc agat servus, ut 20 uni acquirat: sicut in dominio acquirendo. §. 8. Per eum, in quo usumfructum habemus, possidere possumus, sicut (ex) operis suis acquirere nobis solet: nec ad rem pertinet, quod ipsum non possidemus; nam nec filium. §. 9. Ceterum & ille, per quem volumus possidere, talis esse debet: ut habeat intellectum 21 possidendi. §. 10. Et ideo si furiosum servum miseris, ut possideas: nequaquam 22 videris adprehendisse possessionem. §. 11. Quod si impuberem miseris ad possidendum, incipies possidere: sicut pupillus 23, maxime tutore auctore, acquirat possessionem. §. 12. Nam per ancillam, quin possis nancisci possessionem, non dubitatur. §. 13. Pupillus per servum sive puberem, sive impuberem acquirat possessionem, si tutore auctore jusserit eum ire in possessionem. §. 14. Per servum, qui in fuga 24 sit, nihil posse nos possidere Nerva filius ait: licet respondeatur, quamdiu ab alio non possideatur, a nobis eum possideri; ideoque interim etiam ufucapi. Sed utilitatis causa receptum est, ut impleatur ufucapio 25, quamdiu nemo nactus sit ejus possessionem. † Possessionem autem per eum acquiri, sicut per eos, quos in provincia habemus, Cassii & Juliani sententia est. §. 15. Per servum corporalitet 26 pignori datum, non acquirere nos possessionem, Julianus ait: ad unam enim tantum causam videri eum a debitore possideri; ad 27 ufucapionem; nec creditori: quia nec stipulatione, nec ullo alio modo per eum acquirat, quamvis eum possideat 28. §. 16. Veteres putaverunt, non posse nos per servum hereditarium acquirere, quod sit 29 ejusdem hereditatis. Itaque agitur, num hæc regula longius producenda sit: ut si plures servi legati sint, per unum an possint ceteri possideri? Idem tractatus est, si pariter emti vel donati sunt? Sed verius est, ex his causis posse me per unum 30 reliquorum acquirere possessionem. §. 17. Si ex parte heredi instituto servus legatus sit, propter partem, quam ex causa legati habet, acquirat fundi hereditarii possessionem. §. 18. Idem dicendum est, si servum communem jussero adire hereditatem: quia propter partem meam adiro. §. 19. Hæc, quæ de servis diximus, ita se habent, si & ipsi velint nobis acquirere possessionem. Nam si jubeas servum tuum possidere, & is eo animo intret in possessionem, ut nolit tibi, sed potius Titio acquirere: non est tibi acquisita possessio. §. 20. Per procuratorem 31, tutorem, curatoremve possessio nobis acquiritur: cum autem suo nomine nacti fuerint possessionem, non cum ea mente, ut operam dumtaxat suam accommodarent, nobis non possunt acquirere 32. Alioquin, si dicamus, per eos non acquiri nobis possessionem, qui nostro nomine accipiunt: futurum, ut neque is possideat, cui res tradita sit, quia non habeat animum possidentis; neque is, qui tradiderit, quoniam cesserit possessionem. §. 21. Si jusserim venditorem procuratori rem tradere, cum ea in præsentia sit: videri (mihi) traditam Priscus ait: idemque esse, si nummos debitorem jusserim alii dare: Non est

(11. Adde §. 9. infr. h. l. (12. l. 46. supr. de donat. inter vir. & uxor. (13. l. 12. §. 2. infr. de captiv. (14. v. l. 49. in pr. infr. h. t. (15. l. 4. infr. eod. (16. Immo vide §. 10. infr. hic. l. 18. §. 1. infr. eod. (17. l. 23. supr. tit. prox. (18. d. l. 23. §. 1. l. 34. infr. de stipul. serv. (19. l. 118. infr. de reg. jur. (20. l. 5. infr. de stipul. servor. (21. §. 3. in fin. supr. h. l. (22. Vide tamen §. 5. in fin. supr. h. l. (23. l. 32. §. ult. infr. h. t. (24. l. 50. §. 1. infr. eod. l. 25. in fin. supr. de liberal. caus. l. 15. §. 1. infr. de usurp. & usucap. l. 7. in pr. infr. pro emtore. (25. l. 21. supr. de rei vind. (26. l. 37. in pr. supr. tit. prox. (27. l. 16. infr. de usurp. & usucap. (28. l. 22. §. 1. supr. de noxal. act. (29. l. 43. supr. de acquir. vel omitt. hered. l. 18. supr. tit. prox. (30. l. 48. infr. h. t. (31. §. 5. Inst. per quas person. cuique. (32. Vide tamen l. 13. supr. de donat.

(192. l. 4. §. 4. inf. de censib. l. 4. l. 7. C. de donat. l. 8. C. de act. emt. (193. Immo vide l. 59. sup. h. t. (194. l. 3. in pr. infr. ne quid in loco publ. l. 96. in pr. l. 112. inf. de verb. sign. §. 5. Inst. de rer. divis. (195. Immo vide l. 7. §. 3. sup. h. t. (196. l. 12. C. de rei vind.

TIT. II. (1. Lib. 7. C. 32. (2. l. 1. §. 1. sup. tit. prox. (3. l. 5. in fin. supr. d. t. (4. l. 7. §. 3. sup. d. t. (5. §. 18. Inst. de rer. divis. (6. l. 18. §. 1. infra. h. t. vide tamen §. 5. in fin. infr. h. l. (7. l. 32. infr. h. t. (8. Immo vide l. 49. in pr. & §. 1. infr. eod. (9. Immo vide l. 3. C. de donat. (10. l. 32. in fin. infr. h. t. l. 4. §. 2. infr. de usurp. & usucap.



enim corpore, & actu necesse apprehendere possessionem, sed etiam 33 oculis, & affectu: & argumento esse eas res, quæ propter magnitudinem ponderis moveri non possunt, ut columnas: nam pro traditis (eas) haberi, si in re præsentis confenserint: & vina tradita videri, cum claves 34 cellæ vinariæ emtori tradita fuerint.

§. 22. Municipales per se nihil possidere possunt, quia uni consentire non possunt. † Forum autem, & Basilicam, hisque similia non possident: sed promiscue his utuntur. Sed Nerva filius ait, per 35 servum, quæ peculiariter adquisierint, & possidere, & usucapere posse: sed quidam contra putant: quoniam ipsos servos non possideant.

2. ULPIANUS (lib. 70. ad Edictum.)

Sed hoc jure utimur, ut & possidere, & usucapere 36 municipales possint: idque eis & per servum, & per liberam personam adquiratur.

De rebus corporalibus. 1. De animo, & corpore. 2. De parte incerta. 3. Quomodo adquiritur possessio. 4. De pluribus causis possidendi, vel dominium habendi. 5. De pluribus possessoribus. 6. De animo, & corpore. 13. De reb. mobilibus, & de custodia. 14. De feris, & piscibus. 15. De avibus. 16. De columbis, & apibus, & quæ ire, & redire solent. 17. De loco occupato a flumine, vel mari. 18. De contractatione rei depositæ, & animo inficiandi. 19. Neminem sibi ipsi causam possessionis mutare posse. 20. De re vendita depositario, vel commodatario. 21. Divisiones, & species possessionis.

3. PAULUS (lib. 54. ad Edictum.)

Possideri autem possunt, quæ sunt corporalia 37. §. 1. Et adipiscimur possessionem corpore, & animo 38; neque per se animo, aut per se corpore. † Quod autem diximus, & corpore, & animo adipiscere nos debere possessionem, non utique ita accipiendum est, ut, qui fundum possidere velit, omnes glebas circumambulet; sed sufficit, quamlibet partem ejus fundi introire; dum mente, & cogitatione (hac) sit, uti totum fundum usque ad terminum velit possidere. §. 2. Incertam partem rei possidere nemo potest 39: veluti si hac mente sis, ut, quidquid Titius possidet, tu quoque velis possidere. §. 3. Neratius, & Proculus, (&) solo animo non posse nos adipiscere possessionem, si non antecedit naturalis possessio. Ideoque si thesaurum in fundo meo positum sciam, continuo me possidere, simul atque possidendi affectum habuero; quia, quod desit naturali possessioni, id animus implet. † Ceterum quod Brutus, & Manilius putant, eum, qui fundum longa possessione cepit, etiam thesaurum cepisse, quamvis nesciat in fundo esse; non est verum; is enim, qui nescit, non possidet thesaurum, quamvis fundum possideat: sed & si sciat, non capiet longa possessione, quia scit alienum esse. † Quidam putant, Sabinus sententiam veriorum esse: nec alias eum, qui scit, possidere, nisi si loco motus sit; quia non sit sub custodia nostra; quibus consentio. §. 4. Ex plurimis causis possidere eandem rem possumus 40, ut quidam putant 41; & eum, qui usuceperit, & pro emtore, & pro suo possidere; sic enim & si ei, qui pro emtore possidebat, heres sim, eandem rem, & pro emtore, & pro herede possideo; nec enim, sicut dominium non 42 potest nisi ex una causa contingere, ita & possidere ex una dumtaxat causa possumus. §. 5. Ex contrario plures eandem rem in solidum possidere non possunt 43. Contra naturam Cœppe est, ut cum ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris. † Sabinus tamen scribit, eum, qui precario dederit & ipsum possidere, & eum, qui precario acceperit 44. † Idem Trebatius probat existimans, posse alium iuste, alium iniuste possidere: (duos) iniuste, vel duos iuste non posse; (quem) Labeo reprehendit; quoniam in summa possessionis non multum interest, iuste quis, an iniuste possideat, quod est verius: non magis enim eadem possessio apud duos esse potest, quam ut tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto: vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris.

§. 6. In amittenda quoque possessione affectio ejus, qui possidet, intuenda est. Itaque si in fundo sis, & tamen nolis eum

possidere: protinus amittes possessionem. † Igitur amitti & animo solo 45 potest, quamvis adquiri non potest. §. 7. Sed & si animo solo possideas, licet 46 alius in fundo sit, adhuc tamen possides. §. 8. Si quis nunciet, domum a latronibus occupatam, & dominus timore conterritus, noluerit 47 accedere: amisisse eum possessionem placet. † Quod si servus, vel colonus, per quos corpore possidebam, decesserint (decesserintve); animo retinebo possessionem. §. 9. Et si alii tradiderim, amitto possessionem. Nam constat possidere nos, donec aut nostra voluntate discesserimus, aut vi dejecti fuerimus. §. 10. Si servus, quem possidebam, pro libero se gerat, ut fecit Spartacus, & iudicium liberale pati paratus sit: non videbitur a domino possideri, cui se adversarium præparat: sed hoc ita verum est, si diu in libertate moratur: alioquin si ex possessione servitutis in libertatem reclamaverit, & liberale iudicium imploraverit: nihilominus in possessione mea est 48, & animo eum possideo, donec liber fuerit pronunciatus. §. 11. Saltus 49 hybernos, æstivosque animo possidemus: quamvis certis temporibus eos relinquamus. §. 12. Ceterum animo nostro, corpore etiam alieno possidemus: sicut diximus 50 per colonum, & servum. Nec movere nos debet, quod quasdam (res) etiam ignorantes possidemus, id est, quas servi peculiariter paraverunt; nam videmur eas eorundem & animo, & corpore possidere. §. 13. Nerva filius, res mobiles 51, excepto homine, quatenus 52 sub custodia nostra sint, hactenus possideri: id est, quatenus (si) velimus, naturalem possessionem nancisci (possumus). Nam pecus simul atque aberraverit, aut vas ita exciderit, ut non inveniatur, protinus desinere a nobis possideri, licet a nullo possideatur; dissimiliter atque si sub custodia mea sit, nec inveniatur: quia præsentia ejus sit, & tantum cessat interim diligens inquisitio. §. 14. Item feras bestias, quas vivariis incluserimus, & pisces, quas in piscinas conjecerimus, a nobis possideri. † Sed eos pisces, qui in stagno sint, aut feras, quæ in sylvis circumseptis vagantur, a nobis non possideri: quoniam relictae sint in libertate naturali: alioquin, etiam si quis silvam emerit, videri eum omnes feras possidere: quod falsum est. §. 15. Aves autem possidemus, quas inclusas habemus: aut si quæ mansuetæ factæ, custodiæ nostræ subjectæ sunt. §. 16. Quidam recte putant, columbas quoque, quæ ab ædificiis nostris (volant), item apes, quæ ex alveis nostris evolant, & secundum consuetudinem redeunt 53, a nobis possideri. §. 17. Labeo, & Nerva filius responderunt, desinere me possidere eum locum, quem flumen, aut mare occupaverit 54. §. 18. Si rem apud te depositam, furti faciendi causa contractaveris; desino possidere: sed si eam loco non moveris, & inficiandi animum habeas; plerique veterum, & Sabinus, & Cassius recte responderunt, possessorem me manere: quia furtum sine contractatione 55 fieri non potest, nec animo furtum admittatur. §. 19. Illud quoque a Veteribus præceptum est, neminem 56 sibi ipsam causam possessionis mutare posse. §. 20. Sed si is, qui apud me deposuit, vel commodavit, eam 57 rem vendiderit mihi, vel donaverit: non videbor causam possessionis mihi mutare, qui ne possidebam quidem. §. 21. Genera possessionum tot sunt, quot & causæ adquirendi ejus, quod nostrum non sit: velut pro emtore, pro donato, pro legato, pro dote, pro herede, pro noxæ dedito, pro suo: sicut in his, quæ terra, marique, vel ex hostibus capimus, vel quæ ipsi, ut in rerum natura essent, fecimus. Et in summa magis unum genus est possidendi, species infinitæ. §. 22. Vel etiam potest dividi possessionis genus in duas species: ut possideatur, aut bona fide, aut non bona fide. §. 23. Quod autem Quintus Mucius inter genera possessionum posuit, si quando iussu Magistratus rei servandæ 58 causa, vel quia damni infecti non caveatur (mitti), possidemus, ineptissimum est: nam qui creditorem rei servandæ causa, vel quia damni infecti non caveatur, mittit in possessionem, vel ventris nomine: non possessionem, sed custodiam 59 rerum &

(33. l. 18. §. 2. inf. h. t. l. 79. inf. de solution. (34. l. 74. supr. de contrah. emt. l. 9. §. 6. supr. tit. prox. §. 45. Inst. de rer. divis. (35. l. un. §. 1. supr. de libert. univers. (36. l. 7. §. 3. supr. ad exhib. (37. l. 4. §. 27. inf. de usurp. & usucap. (38. §. 3. inf. h. t. l. 8. inf. h. t. (39. l. 32. in fin. inf. de usurp. & usucap. (40. Vide tamen l. 4. C. de contrah. emt. (41. l. 25. §. 7. sup. famil. ercisc. (42. l. 14. §. 2. in fin. inf. de except. rei judic. l. 154. inf. de reg. jur. §. 10. Inst. delegat. §. 14. Inst. de action. (43. l. 5. §. ult. sup. commodati. l. 19. in pr. inf. de precario. Immo vide l. 15. §. 18. supr. de damno infecto. l. 3. in pr. inf. uti possid. l. 15. §. 4. inf. de precario. (44. l. 4. §. 1. d. l. 15. §. 4. inf. d. t.

(45. l. 44. in fin. inf. h. t. Obst. l. 8. inf. eod. (46. l. 6. in fin. l. 25. in fin. inf. h. tit. (47. l. 7. infra. eod. Vide tamen l. 4. C. eod. (48. l. 12. §. 3. supr. de usufr. (49. l. 44. in fin. l. 46. l. 45. inf. h. tit. l. 1. §. 25. inf. de vi, & vi armat. (50. §. 8. supr. h. l. §. 5. Inst. de interd. (51. l. 47. inf. h. tit. (52. §. 3. supr. h. l. (53. l. 3. §. 5. supr. de acquir. rer. domin. (54. l. 30. §. 3. inf. h. t. (55. l. 1. §. 1. l. 21. §. 7. l. 22. in pr. l. 52. §. 19. inf. de furt. l. 53. in fin. inf. de verb. sign. §. 11. vers. ope. Inst. de oblig. quæ ex delict. (56. l. 5. C. h. t. l. 33. §. 1. inf. de usurp. & usucap. l. 6. §. 3. inf. de precar. (57. l. 62. in pr. supr. de evict. (58. l. 10. §. 1. inf. h. t. l. 12. inf. quib. ex caus. in poss. l. 9. in fin. sup. de rei vind. (59. l. 5. in pr. sup. ut in possess. legat. l. 15. §. 20. supr. de damno infecto.



observationem concedit; & ideo cum damni infecti non cavente vicino, in possessionem missi sumus, si id longo tempore fiat, etiam possidere nobis, & per longam possessionem capere Prætor causa cognita permittit.

*De filiofamilias.*

4. ULPIANUS (lib. 67. ad Edictum.)

Quidquid filius peculiari 60 nomine apprehenderit, id statim pater ejus possidet, quamvis ignoret in sua potestate filium. Amplius, etiam si filius ab alio tamquam servus possideatur, idem erit probandum.

*De occupante rem sibi debitam.*

5. PAULUS (lib. 63. ad Edictum.)

Si ex stipulatione tibi Stichum debeam, & non tradam eum, tu autem 61 nactus fueris possessionem: prædo es. Æque si vendidero, nec tradidero rem, si non voluntate mea nactus sis possessionem: non pro emptore possides, sed prædo es.

*De clandestina possessione. 1. Si quis profecti ad nundinas possessionem occupaverit.*

6. ULPIANUS (lib. 70. ad Edictum.)

Clam possidere eum dicimus, qui furtive ingressus est possessionem, ignorante eo, quem sibi controversiam futurum suspicabatur, & ne faceret, timebat. Is autem, qui cum possideret non clam, se celavit 62, in ea causa est, ut non videatur clam possidere: non enim ratio obtinendæ possessionis, sed origo nanciscendæ exquirenda est: nec quemquam clam possidere incipere, qui sciente, aut volente eo, ad quem ea res pertinet, aut aliqua ratione bonæ fidei possessionem nanciscitur. Itaque, inquit Pomponius, clam nanciscitur possessionem, qui futuram controversiam metuens, ignorante eo, quem metuit, furtive (in) possessionem ingreditur. §. 1. Qui ad nundinas profectus neminem reliquerit: & dum 63 ille a nundinis redit, aliquis occupaverit possessionem, videri eum clam possidere, Labeo scribit. Retinet ergo possessionem is, qui ad nundinas abiit. Verum si revertentem dominum non 64 admiserit, vi magis intelligi possidere, non clam.

7. PAULUS (lib. 54. ad Edictum.)

Et si nolit in fundum reverti, quod 65 vim majorem veareatur, amisisse possessionem videbitur: & ita Neratius quoque scribit.

*De animo, & corpore.*

8. IDEM (lib. 65. ad Edictum.)

Quemadmodum nulla possessio acquiri, nisi 66 animo, & corpore potest, ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque 67 in contrarium actum est.

*De eo, qui nostro nomine est in possessione.*

9. GAIUS (lib. 25. ad Edictum provinciale.)

Generaliter quisquis omnino nostro nomine sit in possessione, veluti procurator 68, hospes, amicus 69: non possidere videmur.

*De conductione, & precario: differentia inter possidere, & esse in possessione.*

10. ULPIANUS (lib. 69. ad Edictum.)

Si quis ante conduxit, postea precario rogavit; videbitur discessisse a conductione. Quod si ante rogavit, postea conduxit; conduxisse videbitur: potius enim hoc procedere videtur, quod novissime factum est, & hoc Pomponius ait. §. 1. Idem Pomponius bellissime tentat dicere, numquid qui conduxerit quidem prædium, precario autem rogavit, non ut possideret, sed ut in possessione esset? est autem longe diversum: aliud est enim possidere, longe aliud in possessione esse: denique rei 70 servandæ causa, legatorum, damni infecti, non possident, sed sunt in possessione, custodiæ causa: quod si factum est, utrumque procedit. §. 2. Si quis & conduxerit, & rogaverit precario, uti possideret: si quidem nummo uno conduxit, nulla dubitatio est, quin ei precarium solum teneat: quia conductio 71 nulla est, quæ est in uno nummo, sin vero 72 pretio, tunc distinguendum, quid prius factum est.

(60. l. 1. §. 5. sup. h. t. (61. l. 75. l. 9. C. eod. (62. l. 40. §. 2. inf. eod. (63. l. 3. §. 7. sup. l. 8. l. 25. in fin. l. 46. inf. eod. (64. l. 3. §. 14. inf. de vi, & vi armat. (65. l. 3. §. 8. sup. h. t. (66. d. l. 3. §. 1. l. 44. in fin. inf. eod. l. 153. inf. de reg. jur. §. 5. in fin. Inst. de interdict. (67. l. 35. inf. de reg. jur. immo vide l. 3. §. 6. sup. l. 44. in fin. inf. h. t. (68. l. 20. in fin. sup. tit. prox. (69. Adde l. 3. §. 12. sup. l. 25. §. 1. inf. h. t. §. 5. Inst. de interdict. (70. l. 3. §. ult. sup. h. t. (71. l. 46. sup. locari. (72. l. 2. in pr. sup. d. t.

*De auctoritate Prætoris.*

11. PAULUS (lib. 65. ad Edictum.)

Juste possidet 73, qui auctore Prætor possidet.

*De usufructuario. 1. Differentia proprietatis, & possessionis uti possidetis. De rei vindicatione.*

12. ULPIANUS (lib. 70. ad Edictum.)

Naturaliter 74 videtur possidere is, qui usufructum habet. §. 1. Nihil 75 commune habet proprietatis cum possessione: & ideo non denegatur ei Interdictum Uti possidetis, qui coepit 76 rem vindicare: non enim videtur possessioni renunciaffe, qui rem vindicavit.

*De lapidibus in flumen demersis. De fugitivo.*

1. De accessione possessionis.

13. IDEM (lib. 72. ad Edictum.)

Pomponius refert, cum lapides in Tiberim demersi essent naufragio 77, & post tempus extracti: an dominium in integro fuit per id tempus, quo erant merfi? Ego dominium me retinere puto, possessionem non puto. Nec est simile fugitivo 78: namque fugitivus idcirco a nobis possideri videtur, ne ipse 79 nos privet possessione: at in lapidibus diversum est. §. 1. Cum quis utitur adminiculo ex persona auctoris, uti debet cum sua causa, suisque 80 vitiis: denique addimus in accessione de vi, & clam, & precario venditoris. §. 2. Præterea quæritur, si quis hominem venditori redhibuerit, an accessione uti possit ex persona ejus? & sunt, qui putent, non posse: quia venditionis est resolutio redhibitio: alii emptorem 81 venditoris accessione usum, & venditorem 82 emptoris: quod magis probandum puto. §. 3. Si liber homo, vel alienus servus, cum bona fide fervirent, comparaverint, & alii adquisierint possessionem: neque liberum, neque servi dominum debere uti accessione. §. 4. Quæsitum est, si heres prius non possederat, an testatoris possessio ei accedat? Et quidem in emptoribus possessio interruptitur: sed non idem in heredibus plerique probant: quoniam plenus est jus successionis, quam emtionis: sed subtilius est, quod in emptorem, & in heredem 83 id quoque probari. §. 5. Non autem ea tantum possessio testatoris heredi procedit, quæ morti fuit injuncta: verum ea quoque, quæ unquam testatoris fuerit. §. 6. In dote quoque, si data res fuerit, vel ex dote recepta; accessio 84 dabitur, vel marito, vel uxori. §. 7. Si is, qui precario concessit, accessione velit uti ex persona ejus cui concessit: an possit, quæritur? Ego puto, eum, qui precario concessit, quamdiu manet precarium, accessione uti non posse: si tamen receperit possessionem rupto precario, dicendum esse, accedere possessionem ejus temporis, quo precario possidebatur. §. 8. Ex facto quæritur, si quis manumissus, ex causa peculiari habeat rem, non concessio sibi peculio: deinde dominus velit, retracta possessione, accessione uti, an possit? & placuit, non esse dandam hanc accessione, quæ 85 clam habita est prædone possidente. §. 9. Si jussu judicis res mihi restituta sit, accessione esse mihi dandam placuit. §. 10. Sed & legatario 86 dandam accessione ejus temporis, quo fuit apud testatorem, sciendum est. † An heredis possessio ei accedat, videamus? Et puto, sive pure, sive sub conditione fuerit relicta, dicendum esse, id temporis, quo heres possedit ante existentem conditionem vel restitutionem rei, legatario proficere. Testatoris autem semper proderit legatario, si legatum vere fuit, vel fideicommissum. §. 11. Sed & is, cui res donata est, accessione utetur ex persona ejus, qui donavit. §. 12. Accessiones in eorum persona locum habent, qui habent 87 propriam possessionem: ceterum accessio nemini proficit, nisi ei, qui ipse possedit. §. 13. Præterea ne vitiosa 88 quidem possessioni ulla potest accedere: sed nec vitiosa ei, quæ vitiosa non est.

14. PAULUS (lib. 68. ad Edictum.)

Si servus, vel filiusfamilias vendiderit, dabitur accessio ejus, quod penes me fuit; scilicet si volente me, aut de peculio, cujus liberam peculii administrationem habuerunt, vendiderunt. §. 1.

(73. Adde l. 14. §. 5. sup. de religiof. l. 137. inf. de reg. jur. (74. l. 49. in pr. inf. h. t. (75. l. 52. in pr. inf. eod. l. 1. §. 2. inf. uti possidetis, immo vide l. 8. C. h. t. (76. l. 18. §. 1. inf. de vi, & vi armat. (77. l. 21. §. 1. & 2. inf. h. t. l. 58. sup. tit. prox. (78. l. 1. §. 14. sup. h. t. (79. l. 16. §. 4. sup. (80. arg. l. 10. inf. de reg. jur. (81. l. 6. inf. de divers. temporal. præscript. (82. l. 19. inf. de usurp. & usucap. (83. l. 20. inf. d. t. (84. l. 7. §. 3. sup. de jure dot. (85. §. 1. sup. h. l. (86. l. 14. in fin. inf. de usurp. & usucap. (87. l. ult. inf. de divers. temporal. præscript. (88. §. 1. sup. h. l.



Tutore quoque, vel curatore vendente, dabitur 89 accessio ejus temporis, quo pupillus, vel furiosus possedit.

*De re subrepta, vel vi erepta. De fugitivo.*

15. GAJUS (lib. 26. ad Edictum provinciale.)

**R**em 90, quæ nobis subrepta est, perinde intelligimur desinere possidere, atque eam, quæ vi nobis erepta est. Sed si is 91, qui in potestate nostra est, subripuerit, quamdiu apud ipsum sit res, tamdiu non amittimus possessionem: quia per hujusmodi personas acquiritur nobis possessio: & hæc ratio est, quare videamur fugitivum possidere 92: quod is, quemadmodum aliarum rerum possessionem intervertere 93 non potest, ita ne suam quidem potest.

*De donatione inter virum, & uxorem.*

16. ULPIANUS (lib. 73. ad Edictum.)

**Q**uod uxor viro, aut vir uxori donavit 94, pro possessore possidetur.

*De vi dejecto. 1. De animo amittendi.*

17. IDEM (lib. 76. ad Edictum.)

**S**i quis vi de possessione dejectus sit, perinde haberi debet, ac si possideret, cum Interdicto de Vi recuperandæ possessionis facultatem habeat. §. 1. Differentia inter dominium & possessionem hæc est, quod dominium nihilominus ejus manet, qui dominus esse non vult: possessio autem recedit, ut 95 quisque constituit nolle possidere. si quis igitur ea mente possessionem tradidit, ut postea ei restitatur, desinit possidere.

*De possessione suo, vel alieno nomine. 1. De tradita furioso. De re emta. 3. De clandestina, vel violenta possessione.*

18. CELSUS (lib. 23. Digestorum.)

**Q**uod meo nomine possideo, possum alieno nomine possidere: nec 96 enim muto mihi causam possessionis, sed desino possidere, & alium possessorem ministerio meo facio: nec idem est, possidere, & alieno nomine possidere. Nam possidet, cujus nomine possidetur. Procurator alienæ possessioni præstat ministerium 97 §. 1. Si furioso 98, quem suæ mentis esse existimas, eo quod forte in conspectu inumbratæ quietis fuit constitutus, rem tradideris: licet ille non erit adeptus possessionem, tu possidere desinis; sufficit quippe dimittere possessionem, etiamsi non transferas. Illud enim ridiculum est, dicere, quod non aliter vult quis dimittere, quam si transferat: imo vult dimittere, quia existimat se transferre. §. 2. Si venditorem, quod emerim, deponere 99 in mea domo jusserim: possidere me certum est, quamquam id nemo dum attigerit, aut si vicinum mihi fundum mercato venditor in mea turre demonstrat 100, vacuamque possessionem se tradere dicat: non minus possidere cœpi, quam si pedem finibus intulissim. §. 3. Si, dum in alia parte fundi sum, alius quis clam animo possessoris intraverit 101: non desuisse illico possidere existimandus sum, facile expulsum finibus, simul (atque) sciero. §. 4. Rursus si cum magna vi ingressus est exercitus: eam tantummodo partem, quam intraverit, obtinet.

*De conductione rei bona fide emta. 1. Ne quis sibi mutet causam possessionis.*

19. MARCELLUS (lib. 17. Digestorum.)

**Q**ui bona fide alienum fundum emit, eundem a domino conduxit 102: Quæro, utrum desinat possidere, an non? Respondi, In promptu est, ut possidere desierit. §. 1. Quod scriptum est 103 apud veteres, *neminem sibi causam possessionis posse mutare*, credibile est, de eo cogitatum, qui & corpore, & animo possessioni incumbens, hoc solum statuit, ut alia ex causa id possideret: non si quis dimissa possessione prima, ejusdem rei denuo ex alia causa possessionem nancisci velit.

*De re commodata.*

20. IDEM (lib. 19. Digestorum.)

**S**i quis rem, quam utendam dederat, vendiderit, emtorique tradi jusserit, nec ille tradiderit 104: alias videbitur possessione dominum intervertisse, alias contra. Nam nec tunc quidem semper dominus amittit possessionem, cum reposcenti ei commodatum non redditur: quid enim, si alia quæpiam fuit justa & rationabilis cau-

sa 105 non reddendi, non utique ut possessionem ejus interverteret?

*De precario. 1. De naufragio. 2. De jactis in mare.*

3. De precario.

21. JAVOLENUS (lib. 7. ex Cassio.)

**I**nterdum 106 ejus possessionem, cujus ipsi non habemus, alii tradere possumus: veluti, cum is, qui pro herede rem possidebat, antequam dominus fieret, precario 107 ab herede eam rogavit. §. 1. Quod ex naufragio 108 expulsus est, usucapi non potest: quoniam non est in derelicto, sed in deperdito. §. 2. Idem juris esse existimo in his rebus, quæ jactæ 109 sunt: quoniam non potest videri id pro derelicto habitum, quod salutis causa interim dimissum est. §. 3. Qui alienam rem precario rogavit, si eandem a domino conduxit 110: possessio ad dominum revertitur.

*De possessione, quæ retineri non potest.*

22. IDEM (lib. 13. ex Cassio.)

**N**on 111 videtur possessionem adeptus is, qui ita nactus est, ut eam retinere non possit.

*De aditione hereditatis. 1. De captivis. 2. De homine libero vindco.*

23. IDEM (lib. 1. Epistolarum.)

**C**um heredes instituti sumus, adita hereditate, omnia quidem jura ad nos transeunt: possessio tamen, nisi 112 naturaliter comprehensa, ad nos non pertinet 113. §. 1. In his, qui in hostium potestatem pervenerunt, (in) retinendo jura rerum suarum singulare jus est: corporaliter tamen possessionem amittunt, neque enim possunt videri aliquid possidere, cum ipsi ab alio possideantur: sequitur ergo, ut revertis his nova 114 possessione opus sit, etiam si nemo medio tempore res eorum possederit. §. 2. Item quæro, si vinxero liberum hominem, ita ut eum possideam: an omnia, quæ is possidebat, ego possideam per illum? Respondit: Si vinxeris hominem liberum, cum te possidere non puto: quod cum ita se habeat, multo minus per illum res ejus a te possidebuntur: neque enim rerum natura recipit, ut per eum aliquid possidere possimus, quem civiliter in mea potestate non habeo.

*De possessione per servum.*

24. IDEM (lib. 14. Epistolarum.)

**Q**uod servus tuus, ignorante te, vi possidet, id tu non possides: quoniam is, qui in tua potestate est, ignoranti tibi non corporalem possessionem, sed justam potestatem acquirere; sicut id, quod ex peculio ad eum pervenerit, possidet: nam tum per servum dominus quoque possidere dicitur: summa scilicet cum ratione: quia, quod ex justa causa corporaliter a servo tenetur, id in peculio servi est; & peculium, quod servus civiliter quidem possidere non possit, sed naturaliter tenet, dominus creditur possidere. † Quod vero ex maleficiis adprehenditur, id ad domini possessionem ideo non pertinet, quia nec peculii causam adprehendit.

*De re amissa. 1. De colonis, inquilinis, servis. 2. De amittenda possessione, quam solo animo habemus.*

25. POMPONIUS (lib. 23. ad Quintum Mucium.)

**S**i id, quod possidemus, ita 115 perdidimus, ut ignoremus, ubi sit: desinimus possidere. §. 1. Et per colonos 116, & inquilinos, aut servos nostros, possidemus. Et si moriantur, aut furere incipiant, aut alii locent 117: intelligimur nos retinere possessionem. Nec inter colonum, & servum nostrum, per quem possessionem retinemus, quicquam interest. §. 2. Quod 118 autem solo animo possidemus, quæritur, utrum ne usque eo possideamus, donec alius corpore ingressus sit, ut potior sit illius corporalis possessio? an vero (quod quasi magis probatur) usque eo possideamus, donec revertentes nos aliquis repellat, aut nos ita animo desinamus possidere, quod suspicemur 119 repelli nos posse ab eo, qui ingressus sit in possessionem? & videtur utilius esse.

*De certa, vel incerta parte.*

26. IDEM (lib. 26. ad Quintum Mucium.)

**L**ocus certus ex fundo & possideri, & per longam possessionem capi potest: & certa pars pro indiviso, quæ introducitur vel ex emtione, vel ex donatione 120, vel qualibet alia ex causa. † In-

(89. Excip. l. 7. §. 3. infr. pro emtore. (90. l. 5. infr. de usurp. & usucap. (91. l. 40. in pr. infr. h. t. (92. l. 17. §. fin. infr. de furt. (93. l. 33. §. ult. infr. de usurp. & usucap. (94. l. 1. §. 4. supr. h. t. l. 1. in fin. infr. pro donato. l. 13. §. 1. sup. de hered. petit. (95. l. 30. §. 4. l. 44. in fin. infr. h. t. (96. l. 3. §. 19. sup. eod. (97. l. 13. §. 12. supr. de hered. petit. l. 15. sup. de const. pecun. (98. l. 1. §. 3. sup. h. t. (99. l. 79. infr. de solution. (100. l. 1. §. 21. sup. l. 51. infr. h. t. (101. l. 6. in fin. sup. eod. (102. v. l. 37. infr. eod. (103. l. 3. §. 19. sup. eod. (104. Adde l. 12. infr. de vi, & vi armat.

(105. d. l. 12. in fin. infr. de furt. l. 18. §. 2 & ult. supr. commodati (106. immo vide l. 20. in pr. sup. de acquir. rer. domin. (107. l. 1. infr. de precar. (108. l. 44. vers. idem ait. supr. tit. prox. (109. l. 8. supr. de leg. Rhodia. (110. l. 37. infr. h. t. (111. l. 3. in pr. supr. de act. emt. (112. l. 30. §. 5. infr. h. t. (113. immo vide l. 30. in pr. supr. ex quib. caus. major. (114. l. 19. supr. d. t. (115. l. 44. in pr. infr. h. t. (116. t. 3. §. 12. supr. eod. (117. l. 30. in fin. infr. eod. (118. l. 44. in fin. infr. eod. (119. v. l. 6. in fin. supr. eod. (120. l. 11. C. de præscript. longi tempor.



certa 121 autem pars nec tradi, nec capi potest; veluti si ita tibi tradam, *Quidquid mei juris in eo fundo est*. nam qui ignorat, nec tradere, nec accipere id, quod incertum est, potest.

*De furore.*

27. PROCULUS (lib. 5. Epistolarum.)

Si is, qui animo possessionem saltus retineret, furere 122 coepisset, non potest, dum fureret, ejus saltus possessionem amittere: quia furiosus non potest desinare animo possidere.

*De conductione, emtione, stipulatione, precario.*

28. TERTULLIANUS (lib. 1. Quaestionum.)

Si aliquam rem possideam, & eandem postea conducam: an amittam possessionem? Multum refert, in his quid agatur: primum enim refert, utrum sciam me possidere, an ignorem: & utrum quasi non meam rem conducam, an quasi meam: & sciens meam esse, utrum quasi proprietatis respectu, an possessionis tantum. Nam & si rem meam tu possideas, & ego emam a te possessionem ejus rei, vel stipuler: utilis erit & emtio, & stipulatio 123: & sequitur, ut & precarium, & conductio, (si) specialiter possessionis solius conducenda, vel precario roganda animus interveniat.

*De pupillo.*

29. ULPIANUS (lib. 30. ad Sabinum.)

Possessionem pupillum sine tutoris auctoritate amittere posse constar: non ut animo, sed ut corpore desinat possidere: quod enim est facti, potest amittere. Alia causa est, si forte animo possessionem velit amittere: hoc enim non potest.

*De toto, & partibus. 1. De amittenda possessione. De loco religioso, vel sacro. De libero homine. 2. De damno infecto. 3. De occupato a mari, vel flumine, si possidens in alterius potestatem pervenerit. 4. De voluntate. De manumissione servi per quem possidebatur. De specificatione. 5. De herede ejus, qui pro colono possidebat. 6. De commodato, vel locazione, vel deposito per plures personas ambulantes.*

30. PAULUS (lib. 15. ad Sabinum.)

Qui universas 124 aedes possidet: singulas res, quae in aedificio sunt, non videtur possidere: idem dici debet & de nave, & de armario. §.1. Possessionem amittimus multis modis: veluti si mortuum in eum locum intalimus, quem possidebamus, namque locum religiosum, aut sacrum non possumus possidere, etsi contemnamus religionem, & pro privato eam teneamus: sicut hominem liberum. §. 2. Item cum Praetor idcirco in possessionem rei (ire) iussit, quod damni infecti non promittebatur, possessionem invitum dominum amittere, Labeo ait. §. 3. Item, quod mari, aut flumine occupatum 125 sit, possidere nos desinimus: aut si is, qui possidet, in alterius potestatem pervenit. §.4. Item, quod mobile est, multis modis desinimus possidere: si aut nolimus 126, aut servum (puta) manumittamus: item, si quod possidebam, in aliam speciem translatum est; veluti vestimentum ex lana factum. §.5. Quod per colonum 127 possideo: heres meus, nisi 128 ipse nactus possessionem, non poterit possidere: retinere enim animo possessionem possumus, adipisci non possumus. \* Sed quod pro emtore possideo, per colonum etiam ufucapiet (etiam) heres meus. §.6. Si ego tibi commodavero, tu Titio, qui putet tuum esse: nihilominus ego id possidebo. \* Et idem erit, si colonus meus fundum locaverit 129: aut is, apud quem deposueram, apud alium rursus deposuerit. Et id quamlibet per plurium personam factum observandum ita erit.

*De colono exeunte, & redeunte.*

31. POMPONIUS (lib. 32. ad Sabinum.)

Si colonus non deferenda possessionis causa exiisset 130 de fundo, & eo rediisset: eundem locatorem possidere, placet.

*De pupillo. 1. Si conductor rem vendidit, & ab emtore conduxit. 2. De infante, & pupillo.*

32. PAULUS (lib. 15. ad Sabinum.)

Quamvis pupillus 131 sine tutoris auctoritate non obligetur, possessionem tamen per eum retinemus. §. 1. Si conductor rem vendidit, & eam ab emtore conduxit, & utrique mercedis praestitit: prior locator possessionem per conductorem rectissime

retinet. §.2. Infans 132 possidere recte potest, si 133 tutore auctore coepit: nam iudicium infantis suppletur auctoritate tutoris: utilitatis enim causa hoc receptum est: nam alioquin nullus sensus sit infantis accipiendi possessionem. † Pupillus tamen etiam sine tutoris auctoritate possessionem nancisci potest. \* Item infans peculiari nomine per 134 servum possidere potest.

*Si venditor mandaverit alicui, ut emtorem in vacuum possessionem induceret.*

33. POMPONIUS (lib. 32. ad Sabinum.)

Fundi venditor etiam si mandaverit alicui, ut emtorem in vacuum possessionem induceret: priusquam id fieret, non recte emtor per se in possessionem veniet. \* Item, si amicus venditoris, mortuo eo, priusquam id sciret, aut non prohibentibus heredibus, id fecerit: recte possessio tradita erit. Sed si id fecerit, cum sciret dominum mortuum, aut cum sciret heredes id facere nolle: contra erit.

*De errore. 2. De acquisitione per servum.*

34. ULPIANUS (lib. 7. Disputationum.)

Si me in vacuum possessionem fundi Cornelianus miseris, ego putarem me in fundum Sempronianum missum, & in Cornelianum iero: non adquiram possessionem, nisi forte in nomine tantum erraverimus; in corpore consenserimus. \* Quoniam autem in corpore consenserimus, an a te tamen recedet possessio, quia animo deponere, & mutare nos possessionem posse, & Celsus & Marcellus scribunt, dubitari potest; & si animo adquiri possessio potest, numquid etiam adquisita est? Sed non puto errantem acquirere, ergo nec amittet possessionem, qui quodammodo sub conditione: recessit de possessione. §.1. Sed si non mihi, sed procuratori 135 meo possessionem tradas: videndum est, si ego errem, procurator meus non erret, an mihi possessio adquiratur? Et cum placeat, ignorantia 136 adquiri, poterit & erranti. Sed si procurator meus erret, ego non errem: magis est, ut adquiram possessionem. §.2. Servus quoque meus ignorantia mihi acquireret possessionem. Nam & servus alienus (Vitellius scribit) sive a me, sive a nemine possideatur, potest mihi acquirere possessionem, si 137 nomine meo eam adipiscatur: quod & ipsum admittendum est.

*De exitu controversia possessionis.*

35. IDEM (lib. 5. de omnibus Tribunalibus.)

Exitus controversia possessionis hic est tantum, ut prius pronunciet iudex, uter 138 possideat; ita enim fiet, ut is, qui victus est de possessione, petitoris partibus fungatur, & tunc de domino quaeratur.

*De re pignolata.*

36. JULIANUS (lib. 13. Digestorum.)

Qui pignoris causa fundum creditori tradit, intelligitur 139 possidere. \* Sed etiam eundem precario rogaverit, aequae per diutinam possessionem capiet: nam cum possessio creditoris non impediatur capionem, longe minus precarii rogatio 140 impedimento esse (non) debet: cum plus juris in possessione habeat, qui precario rogaverit, quam qui omnino non possidet.

37. MARCIANUS (lib. sing. ad Formulam hypothecariam.)

Res pignoris nomine data, & possessione tradita, deinde a creditore conducta 141: convenit, ut is, qui hypothecam dedisset, pro colono in agro, (in) aedibus autem pro inquilino sit: per eos creditor possidere videtur.

*De eo, qui absenti servo scribit, ut in libertate moretur.*

1. De conditione. 2. De servo tradito heredi debitoris.

38. JULIANUS (lib. 44. Digestorum.)

Qui absenti servo scribit, ut in libertate moretur, non eam mentem habet, ut statim velit servi possessionem dimittere: sed magis destinationem (suam) in id tempus conferre, quo servus certior factus fuerit. §.1. Si quis possessionem fundi ita tradiderit, ut ita demum cedere ea dicat, si ipse fundus esset: non videtur possessio tradita, si fundus alienus sit. Hoc amplius existimandum est, possessiones 142 sub conditione tradi posse, sicut res 143 sub conditione traduntur, neque aliter accipientis aiant, quam conditio extiterit. §.2. Si is, qui Titio servum ven-

(121.l.3.§.2.sup.h.t.l.32.in fin.inf.de usurp.& usucap. (122.l.31. §.4.inf.d.t. (123.l.28.l.82.in pr.de verb.oblig. (124.l.23 inf.de usurp. & usucap.l.2.§.6.inf.pro emtore l.7.§.11.sup.de acquir.rer.domin.l.23. in fin.sup.de rei vind.l.3.inf.quod vi aut clam. (125.l.3.§.17. inf.h.t. (126.l.17.in fin.sup.eod. (127.l.40. §.1. inf.eod.l.60. §.1. sup.locati. (128.l.33.in pr.sup.h.t. (129.l.25.§.1. sup. (130.l.ult.C.eod. (131.l.1. §.3.§.11. sup.eod.l.4.§.2.inf.de usurp.& usucap. (132.l.1.§.3. sup.h.t. (133.Immo vide l.3.C.eod.

(134.l.28.inf.de usurp.& usucap. (135.l.20.in fin.sup.de acquir.rer. dom. (136.l.49.in fin.inf.l.1.C.h.t.l.13 sup.de adq.rer.dom. (137.l.31. §.2.inf.de usurp.& usucap. (138.l.24.sup.de rei vind.l.1. §.3.inf.uis possidetis. (139.l.1. §.15. sup.h.t.l.16.l.33.in fin.inf.de usurp.& usucap. l.15. §.2. sup. qui satisdare cog. (140.l.6.in fin.inf.de precario. (141. l.19.in pr.l.21.in fin.sup.h.t.l.75. sup. de contrah. emt. l.16. sup. de pericul.& commod.rei vind.l.37. sup. de pignorat. (142.l.34. in fin. pr. sup.h.t. (143.l.7.§.alt. sup. de jure dot.



diderat ejus eum tradiderit, poterit heres rerum hereditariarum possessionem per eum apprehendere: quia non servus jure hereditario, sed actio ex emto ad eum pervenit: nam & si ex stipulatu, vel ex testamento servus testatori debitus fuisset, & heres eum accepisset: non prohiberetur rerum hereditariarum possessionem per eundem acquirere.

*De re sequestrata.*

39. IDEM (lib. 2. ex Minicio.)

Interesse puto, qua mente apud sequestrum deponitur res, nam si omittenda 144 possessionis causa, & hoc aperte fuerit approbatum: ad usucapionem possessio ejus partibus non procederet: at si custodia causa deponatur, ad usucapionem eam possessionem victori procedere constat.

*Si servus dominum de possessione dejecerit. 1. De morte vel discessu coloni 2. De clandestina possessione.*

40. AFRICANUS (lib. 7. Quaestionum.)

Si de eo fundo, quem, cum possiderem, pignori tibi dedi, servus 145 tuus te deiciat: adhuc te possidere, ait; quoniam nihilominus per ipsum servum possessionem retineas. §. 1. Si forte colonus, per 146 quem dominus possideret, decessisset: propter utilitatem receptum est, ut per colonum possessio (&) retineretur, & contineretur, quo mortuo, non statim dicendum, eam interpellari: sed tunc demum, cum dominus possessionem adipisci neglexerit. Aliud existimandum ait, si colonus sponte possessione discesserit 147. Sed hæc ita esse vera, si nemo extraneus eam rem interim possederit, sed semper in hereditate coloni manserit. §. 2. Servum tuum a Titio bona fide emi, & traditum possedi 148, deinde cum comperissem tuum esse, ne eum peteres, celare 149 cœpi: non ideo magis hoc tempore clam possidere videri me, ait. † Nam retro quoque, si sciens tuum servum non a domino emerim, & tum clam eum possidere cœpisssem, postea certiorum te fecerim, non ideo desinere me clam possidere. §. 3. Si servum meum bonæ fidei emtori clam abduxerim: respondit, non videri me clam possidere: quia neque precarii rogatione, neque conductione suæ rei dominum 150 teneri: & non posse causam clandestinæ possessionis ab his duabus causis separari.

*De ingressu in fundum jure familiaritatis.*

41. PAULUS (lib. 1. Institutionum.)

Qui jure familiaritatis amici fundum ingreditur, non videtur possidere: quia non eo animo ingressus est, ut possideat, licet corpore in fundo sit.

*De servo communi. De procuratore.*

42. ULPIANUS (lib. 4. Regularum.)

Communis servus, etiam si ab 151 uno ex dominis omnium nomine possideatur, ab omnibus possideri intelligitur. §. 1. Procurator, si quidem mandante domino rem emerit, protinus illi acquirit possessionem, quod si sua sponte emerit, non: nisi ratam 152 habuerit dominus emtionem.

*Si emtor sciat partem esse alienam. 1. Vel usumfructum esse alienum. 2. Vel rem esse pignoratam.*

43. MARCIANUS (lib. 3. Regularum.)

Si quis fundum emerit, cujus particulam 153 sciebat esse alienam: Julianus ait, si pro diviso sciat alienam esse, posse eum reliquas partes longa possessione capere: sed si pro indiviso, licet ignoret, quis sit locus: æque eum capere posse, quod sine ullius damno pars, quæ putatur esse vendentis, per longam possessionem ad emtorem transit. §. 1. Sed & Pomponius scripsit libro v. variarum Lectionum, si sciat, vel putet alienum esse usumfructum, bona fide diutina possessione capere posse. §. 2. Idem inquit, & si emero rem, quam sciam pignori obligatam.

*De pecunia condita. 1. De acquisitione per servos. 2. De amittenda possessione, quam per nosmetipsos, vel per alios habemus.*

44. PAPIANUS (lib. 23. Quaestionum.)

Peregre profecturus pecuniam in terra custodia causa condiderat: cum reversus locum thesauri in memoria non repeteret, an desisset pecuniam possidere: vel si (postea) recognovisset locum: an confestim possidere inciperet, quaeritum est? Dixi, quoniam custodia causa pecunia condita proponeretur, jus possessionis ei, qui condidisset, non videri peremptum: nec infirmitatem memo-

(144. Vide tamen l. 17. §. 1. sup. depositi. (145. l. 15. vers. sed si is sup. h. t. l. 33. §. fin. infr. tit. prox. (146. l. 30. §. 5. sup. h. t. l. 1. C. commun. de usucap. (147. Immo v. l. ult. C. h. t. (148. l. 44. §. 2. infr. tit. prox. (149. l. 6. in pr. sup. h. t. (150. l. 4. §. 3. infr. de precario. (151. l. 18. in pr. sup. h. t. (152. l. 24. sup. de negot. gest. (153. l. 6. §. 1. infr. pro emtore.

ria damnum adferre possessionis, quam alius non invasit: alioquin responsuros, per momenta servorum, quos non viderimus interire possessionem. † Et nihil interest, pecuniam in meo, an in alieno condidisset: cum si alius in meo condidisset, non alias possiderem, quam si ipsius rei possessionem supra terram adeptus fuisset. Itaque nec alienus locus meam propriam aufert possessionem: cum, supra terram, an infra terram possideam, nihil intersit. §. 1. Quaeritum est, cur ex peculii causa per servum ignorantibus 154 possessio quaeretur? Dixi, utilitatis causa jure singulari receptum, ne cogentur domini per momenta, species & causas peculiorum inquirere: nec tamen eo pertinere speciem istam, ut animo videatur acquiri possessio: nam si non ex causa peculiari quaeratur aliquid, scientiam quidem domini esse necessariam, sed corpore servi quaeri possessionem. §. 2. Quibus explicitis, cura de amittenda possessione quaeratur, multum interesse dicam, per nosmetipsos, an per alios possideremus. Nam ejus quidem, quod corpore nostro teneremus, possessionem amitti vel animo, vel etiam corpore; si 155 modo eo animo inde digressi fuisset, ne possideremus: ejus vero, quod servi, vel etiam coloni corpore possidentur, non aliter amitti possessionem, quam eam alius ingressus fuisset, eamque amitti 156 nobis quoque ignorantibus. † Illa quoque possessionis amittenda separatio est; nam saltus 157 hibernos & ætivos, quorum possessio retinetur animo:

45. IDEM (lib. 2. Definitionum.)

Licet neque servum, neque colonum ibi habeamus;

46. IDEM (lib. 23. Quaestionum.)

Quamvis saltus proposito possidendi fuerit alius 158 ingressus: tamdiu priorem possidere dictum est, quamdiu possessionem ab alio occupatam ignoraret. Ut 159 enim eodem modo vinculum obligationum solvitur, quo quaeri adsolet; ita non 160 debet ignorantem tolli possessio, quæ solo animo tenetur.

*De amittenda possessione rei mobilis, vel feroventis.*

47. IDEM (lib. 26. Quaestionum.)

Si rem mobilem apud te depositam, aut ex commodato tibi possidere, neque reddere constitueris: confestim amisisse me possessionem vel ignorantem, responsum est, cujus rei forsitan illa ratio est, quod rerum mobilium 161 neglecta, atque omissa custodia, quamvis eas nemo alius invaserit, veteris possessionis damnum adferre consuevit: idque *Nerva filius libris de usucapionibus retulit.* † Idem scribit, aliam causam esse hominis 162 commodati omissa custodia: nam possessionem tamdiu veterem fieri, quamdiu nemo alius eum possidere cœperit: videlicet ideo, quia potest homo, proposito redeundi, domino possessionem sui conservare, cujus corpore ceteras quoque res possumus possidere. † Igitur earum quidem rerum, quæ ratione, vel anima carent, confestim amittitur possessio: homines autem retinentur, si revertendi animum haberent.

*De prædiis donatis cum servis.*

48. IDEM (lib. 10. Responsorum.)

Prædia cum servis donavit, eorumque se tradidisse possessionem, literis declaravit, si vel unus ex servis, qui simul cum prædiis donatus est, ad eum, qui donum accepit, pervenit, mox in prædia remissus est: per 163 servum prædiorum possessionem quaeritam, ceterorumque servorum, constabit.

*De servo fructuario. 1. De his, qui in aliena potestate sunt.*

2. De procuratore.

49. IDEM (lib. 2. Definitionum.)

Possessio quoque per servum, cujus 164 ususfructus meus est, ex re mea, vel ex operis servi acquiritur mihi: cum & naturaliter 165 a fructuario teneatur, & plurimum ex jure 166 possessio mutuetur. §. 1. Qui in aliena potestate sunt, rem peculiarem tenere possunt: habere possidere non 167 possunt: quia possessio non tantum corporis, sed & juris 168 est. §. 2. Et si possessio per procuratorem ignorantem 169 quaeritur, usucapio vero scienti competit: tamen evictionis actio domino contra venditorem invito procuratore non datur: sed per actionem mandati ea cedere cogitur.

(154. l. 3. §. 12. sup. h. t. l. 31. §. 3. infr. tit. prox. (155. l. 3. §. 11. l. 8. l. 25. §. 1. sup. l. 4. C. h. t. l. 1. §. 25. infr. de vi, & vi armat. §. 5. vers. quin etiam. Inst. de interd. (156. Immo vide l. 46. in fin. infr. h. t. (157. l. 3. §. 11. sup. eod. (158. l. 6. in fin. sup. eod. (159. l. 153. infr. de reg. jur. (160. Immo vide l. 44. in fin. sup. h. t. (161. l. 3. §. 13. sup. eod. (162. d. l. 3. §. 13. (163. l. 1. §. 16. sup. eod. (164. l. 1. §. 8. l. 10. l. 20. in fin. sup. de adquir. rer. domin. (165. l. 12. in pr. sup. eod. (166. Immo vide l. 1. §. 3. l. 29. sup. eod. l. 19. sup. ex quib. caus. major. (167. l. 44. §. 4. infr. tit. prox. (168. in pr. sup. h. t. (169. l. 34. §. 1. sup. h. t.



*De filio opinato. 1. De servo in fuga agente.*

50. HERMOGENIANUS (lib. 5. Juris Epitomatum.)

Per eum, quem iusto ductus errore filium meum, & in mea potestate esse existimo, neque possessio, neque dominium, neque quicquam aliud ex re mea mihi quaeritur. §. 1. Per servum in fuga 170 agentem, si neque ab alio possideatur, neque se liberum esse credat, possessio nobis acquiritur.

*De rebus emtis.*

51. JAVOLENUS (lib. 5. ex Posterioribus Labeonis.)

Quarundam 171 rerum animo possessionem adipisci nos, ait Labeo: veluti, si acervum lignorum emero, & eum venditor tollere me iusserit: simul atque custodiam posuissim, traditus mihi videtur. Idem juris esse vino vendito, cum universae amphorae vini simul essent. † Sed videamus (inquit) ne haec ipsa corporis traditio sit: quia nihil 172 interest, utrum mihi, an & cuilibet iusserim, custodia tradatur: In eo puto hanc quaestionem consistere, an etiam si corpore acervus, aut amphorae adprehensae non sunt, nihilominus traditae videantur; nihil video interesse, utrum ipse acervum, an mandato meo aliquis custodiat: utrobique (enim) animi quodam genere possessio erit aestimanda.

*Differentia possessionis, & ususfructus: item possessionis, & proprietatis. 1. De prohibito aedificare. 2. De prohibitione, ne ingrediendi vis fiat.*

52. VENULEJUS (lib. 1. Interdictorum.)

Permisceri causas possessionis, & ususfructus non oportet: quemadmodum nec possessio 173, & proprietas misceri debent; namque impediri possessionem, si alius fruatur; neque alterius fructum computari, si alter possideat. §. 1. Eum, qui aedificare 174 prohibeatur, possidere quoque prohiberi manifestum est. §. 2. Species inducendi in possessionem alicujus rei est, prohibere ingrediendi vim fieri: statim enim cedere adversarium, & vacuam relinquere possessionem jubet: quod multo plus est, quam restituere.

*De vitiosa possessione.*

53. IDEM (lib. 5. Interdictorum.)

Adversus extraneos 175 vitiosa possessio prodesse solet.

### TIT. III.

#### DE USURPATIONIBUS, ET USUCAPIONIBUS. I

*Ratio usucapionis.*

1. GAJUS (lib. 21. ad Edictum provinciale.)

Bono publico usucapio introducta est, ne 2 scilicet quarundam rerum diu, & fere semper incerta dominia essent: cum sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium.

*Quid sit usurpatio.*

2. PAULUS (lib. 54 ad Edictum.)

Usurpatio est usucapionis interruptio. Oratores autem usurpationem, frequentem usum vocant.

*Quid sit usucapio.*

3. MODESTINUS (lib. 5. Pandectarum.)

Usucapio est adjectio domini per continuationem possessionis temporis Lege definiti.

*Propositio dicendorum. 1. De patre, vel filiofamilias. 2. De pupillo. 3. De furioso. 4. De servo. 5. De fructibus, & partu ancilla. 7. De re furtiva. 22. Aut vi possessa.*

*29. De servitute, & libertate.*

4. PAULUS (lib. 54. ad Edictum.)

Sequitur de usucapione dicere. Et hoc ordine eundem est, ut videamus, quis potest usucapere, & quas res, & quanto tempore. §. 1. Usucapere potest scilicet paterfamilias. Filiusfamilias, & maxime miles, in castris adquisitum usucapiet. §. 2. Pupillus 3, si tutore auctore coeperit possidere, usucapit; si non tutore auctore possideat, & animum possidendi habeat: dicemus posse 4 eum usucapere. §. 3. Furiosus 5 quod ante furorem possidere coepit, usucapit. Sed haec persona ita demum usucapere potest, si ex ea causa possideat, ex qua usucapio sequitur. §. 4. Servus pro 6 herede possidere non potest. §. 5. Fructus, & partus ancil-

larum, & foetus pecorum, si defuncti non fuerunt, usucapi possunt. §. 6. Quod autem dicit lex Atinia 7, ut res furtiva non usucapiatur, nisi in potestatem ejus 8, cui subrepta est, revertatur 9: sic acceptum est, ut in domini potestatem debeat reverti: non in ejus utique, cui subreptum est. Igitur creditori subrepta, & ei, cui commodata est, in potestatem domini redire debet. §. 7. Labeo quoque ait, si res peculiaris servi mei subrepta sit me ignorante, deinde eam nactus sit: videri 10 in potestatem meam rediisse. Commodius dicitur, etiam si sciero, rediisse (eam) in meam potestatem. Nec enim sufficit, si eam rem, quam perdidit, ignorante me servus apprehendat, si modo in peculio eam esse volui: nam si nolui, tunc exigendum est, ut ego facultatem ejus nactus sim. §. 8. Ideoque (&) si servus meus rem mihi subripuerit, deinde eandem loco suo reponat, poterit usucapi; quasi in potestatem meam redierit; utique si nescii: nam si scivi exigimus, ut rediisse sciam in meam potestatem. §. 9. Item, si eam rem, quam servus subripuerit, peculiari nomine teneat, non videri 11 in potestatem meam reversam, Pomponius ait: nisi ita habere coeperimus, quemadmodum habuimus, antequam subriperetur; aut, cum rescissemus, in peculio eum habere concessimus. §. 10. Item Labeo, si rem, quam apud te deposueram, *lucri faciendi* causa vendideris, deinde ex poenitentia redemeris, & eodem flatu habeas, siue ignorante me, siue sciente, ea gesta sint, videri in potestatem meam rediisse, secundum Proculi sententiam, quae & vera est. §. 11. Si pupilli res subrepta sit, sufficere dicendum est, si tutor ejus sciat, rediisse eam in domum pupilli: Et si furioso: sufficere, curatores scire. §. 12. Tunc in potestatem domini rediisse dicendum est, cum possessionem ejus nactus sit iuste, ut avelli non possit: Sed & tamquam suae rei: nam si ignorans rem mihi subreptam, eam: non videri in potestatem meam reversam. §. 13. Sed et si vindicavero rem mihi subreptam, & litis assumptionem 12 accepero, licet corporaliter ejus non sim nactus possessionem, usucapierit 13. §. 14. Idem dicendum est, etiam si voluntate mea alii tradita sit. §. 15. *Heres*, qui 14 in jus defuncti succedit, licet apud eum, ignorantem 15 ancillam furtivam esse, conceperit (ea,) & pepererit, non tamen usucapiet. §. 16. De illo quaeritur, si servus meus ancillam, quam subripuit, pro libertate sua mihi dederit: an, partum apud me conceptum usucapere possim? Sabinus, & Cassius non putant: quia possessio, quam servus vitiose nactus sit, domino noceret: & hoc verum est 16. §. 17. Sed & si, ut servum meum manmitterem, alius mihi furtivam ancillam dederit, eaque apud me conceperit, & pepererit: usum me non capturum. Idemque fore (etiam,) si quis eam ancillam mecum permutasset, aut in solutum dedisset; item si donasset. §. 18. Si antequam pariat, alienam esse rescierit emtor: diximus non posse eum usucapere: quod si nescierit, posse (quod) si, cum jam usucaperet, cognoverit alienam esse: initium 17 usucapionis intuenti debemus, sicut in emtis rebus placuit. §. 19. Lana ovium furtivarum, si quidem apud furem detonsa est, usucapi non potest: si 18 vero apud bonae fidei emtorem, contra; quoniam in fructu est, nec usucapi debet, sed statim emtoris fit. Idem in agnis dicendum, si consumti sint; quod verum est. §. 20. Si ex lana furtiva vestimentum feceris, verius est, ut substantiam spectemus; & ideo vestis furtiva erit. §. 21. Si rem pignori 19 datam debitor subripuerit, & vendiderit, usucapi eam posse 20, Cassius scribit: quia in potestatem domini videtur pervenisse, qui pignori dederit; quamvis cura eo furti agi potest; quod puto rectius dici. §. 22. Si tu me vi expuleris de fundi possessione, nec adprehenderis possessionem, sed Titius in vacuam possessionem intraverit: potest 21 longo tempore capi res: quamvis enim interdictum unde vi locum habeat, quia verum est, vi me dejectum: non tamen verum est, & vi possessum. §. 23. Ceterum etiam si mala fide fundum me possidentem dejeceris, & vendideris, non poterit capi: quoniam verum est, vi possessum esse, licet non a domino. §. 24. Idem dicendum est in eo, qui eum expulit, qui pro herede possidebat, quamvis sciat esse hereditarium. §. 25. ( Si fundum alienum bona fide possidentem, quis

(170. l. 1. §. 14. supr. eod. (171. l. 18. §. 2. supr. eod. (172. Immo vide l. 5. §. 14. sup. commodati. (173. l. 12. §. 1. sup. h. t. (174. leg. 3. §. 2. infr. uti possidetis. (175. l. 1. in fin. infr. d. t. l. ult. C. de rei vind. §. 4. vers. commodum Inst. de interdict.

TIT. III. (1. Lib. 2. Inst. 6. Lib. 7. C. 30. (2. in pr. Inst. h. t. (3. vide l. 32. in pr. supr. tit. prox. (4. d. l. 32. §. ult. (5. l. 44. §. 6. infr. h. t. (6. l. 118. infr. de reg. jur.

(7. l. 33. in pr. infr. §. 2. Inst. h. t. (8. l. ult. infr. §. 8. Inst. eod. (9. l. 13. §. 2. infr. de verb. sign. (10. Adde §. 10. infr. h. l. (11. §. 7. supr. h. l. (12. l. 84. infr. de furt. (13. Immo vide l. 10. C. d. t. (14. l. 8. supr. de adquir. vel omitt. hered. l. 24. l. 119. infr. de verb. sign. (15. l. 11. infr. de divers. temporal. praeser. l. ult. C. commun. de usucap. §. 12. Inst. h. t. (16. Immo vide l. 9. l. 10. infr. pro emtore. (17. l. 44. §. 2. infr. h. t. (18. l. 48. in fin. supr. de adquir. rer. domin. l. 48. §. 5. infr. de furt. (19. l. 5. infra pro emtore. (20. Obli. l. 6. C. de usucap. pro emtore (21. l. 32. §. 2. infr. h. t.



sciens esse alienum expulerit, usucapere non potest, ) quoniam vi possidet. §. 26. Si dominus fundi possessorem vi dejecerit, Cassius ait, non videri in potestatem ejus rediisse, quando Interdicto unde vi restitutus sit possessionem. §. 27. Si viam habeam per tuum fundum, & tu me ab ea vi expuleris: per longum tempus non utendo amittam tibi viam; quia nec 22 possideri intelligitur jus incorporale: nec de via quis, ( id est, ) mero jure detruditur. §. 28. Item si occupaveris vacuam possessionem, deinde venientem dominum prohibueris: non videberis vi possedisse. §. 29. Libertatem 23 servitutem usucapi posse, verius est: quia eam usucapionem sustulit Lex Scribonia, quæ servitutem constituebat; non etiam eam, quæ libertatem præstat sublata servitute. t Itaque si, cum tibi servitutem deberem, ne mihi (puta) liceret alius ædificare, & per statutum tempus alius ædificatum habuero: sublata erit servitus.

*De interruptione possessionis.*

5. GAJUS ( lib. 21. ad Edictum Provinciale. )

Naturaliter interruptitur possessio, cum 24 quis de possessione vi deicitur, vel alicui res eripitur: quo casu non adversus eum tantum, qui eripit, interruptitur possessio: sed adversus omnes. t Nec eo casu quicquam interest, is, qui usurpaverit, dominus sit, necne. t Ac ne illud quidem interest, pro suo quisque possideat, an ex lucrativa causa.

*De computatione temporis.*

6. ULPIANUS ( lib. 11. ad Edictum. )

In usucapionibus non a momento ad momentum, sed totum postremum diem computamus 25.

7. IDEM ( lib. 27. ad Sabinum. )

Ideoque qui hora sexta diei Kal. Januariarum possidere coepit, hora sexta noctis 26 pridie 27 Kal. Januariarum implet usucapionem.

*De servo.*

8. PAULUS ( lib. 12. ad Edictum. )

Labeo, Neratius, responderunt, ea, quæ servi peculiariter nasci sunt, usucapi posse: quia hæc etiam ignorantes 28 domini usucapiunt. Idem Julianus scribit. §. 1. Sed eum, qui suo nomine nihil usucapere potest, ne 29 per servum quidem posse, Paulus scribit.

*De rebus corporalibus. De rebus sacris, sanctis, publicis.*

*De liberis hominibus.*

9. GAJUS ( lib. 4. ad Edictum provinciale. )

Usucapionem recipiunt maxime res corporales, exceptis 30 rebus sacris, sanctis, publicis populi Romani, & civitatum, item liberis hominibus.

*De bona fide. 1. De servitutibus. 2. De partu animalis surrepti.*

10. ULPIANUS ( lib. 16. ad Edictum. )

Si aliena res bona fide emta sit, quaeritur, ut usucapio currat, utrum emtionis initium, ut bonam fidem habeat, exigimus, an traditionis? Et obtinuit Sabini, & Cassii sententia, traditionis 31 initium spectantium. §. 1. Hoc jure utimur, ut servitutes per se nusquam longo tempore capi possint, cum ædificiis possint. §. 2. Scævola libro xi Quaestionum scribit, Marcellum existimasse, si bos apud furem concepit, vel apud furis heredem, pariatque apud furis heredem: usucapi ab herede distractum juvenum non possit: sic ( inquit ) quemadmodum nec ancillæ partus. Scævola autem scribit, se putare usucapere posse 32 & partum 33: nec enim esse 34 partum rei furtivæ partem; ceterum si esset pars, nec si apud bonæ fidei emtorem peperisset, usucapi poterat.

*De captivo.*

11. PAULUS ( lib. 19. ad Edictum. )

Neque servus, neque per servum dominus, qui apud hostes est, possidet.

*De emtione ab eo, quem Prætor vetuit alienare.*

12. IDEM ( lib. 21. ad Edictum. )

Si ab eo emas, quem Prætor vetuit alienare, idque tu scias: usucapere non potes.

(22. l. 10. §. 1. infr. eod. l. 14. in pr. supr. de servit. l. 32. in fin. supr. de servit. pr. ad. urban. l. 3. in pr. supr. tit. prox. (23. l. 6. supr. de servit. pr. ad. urban. (24. l. 15. supr. tit. prox. (25. l. 7. infr. h. t. l. 15. in pr. infr. de divers. temporal. præscript. (26. l. 8. supr. de feriis. (27. Adde l. 5. supr. qui testam. facere. l. 1. supr. de manumiss. (28. l. 2. §. 11. infr. pro emtore. (29. Immo vide l. 3. in fin. supr. quæ res pignori. (30. l. 45. in pr. infr. §. 1. Inst. h. tit. l. 6. C. de oper. publ. l. 2. C. ne rei domin. (31. l. 48. infr. h. t. (32. Correct. Nov. Leon. 28, (33. l. 33. in pr. infr. h. t. (34. l. 26. infr. de verb. sign.

*De pignore. 1. De emente a furioso. 2. De emente mandato alterius.*

13. IDEM ( lib. 5. ad Plautium. )

Pignori 35 rem acceptam usu non capimus: quia pro alieno possidemus. §. 1. Eum, qui a furioso bona fide emit, usucapere posse 36 responsum est. §. 2. Si mandavero tibi, ut fundum emas: ex ea causa traditum tibi diutina possessione capis: quamvis possis videri non pro tuo possidere; cum nihil interfit, quod mandati iudicio tenearis.

*De accessione possessionis.*

14. IDEM ( lib. 13. ad Plautium. )

Id tempus venditionis prodest emtori, quo 37, antequam venderet, possedit: nam si postea nactus est possessionem venditor, hæc possessio emtori non proficiet. §. 1. In re legata, in accessione 38 temporis, qua testator possedit, legatarius quodammodo quasi heres est.

*De captivo. 1. De fugitivo. 2. De bona fide.*

15. IDEM ( lib. 15. ad Plautium. )

Si is, qui pro emtore possidebat, ante usucapionem ab hostibus captus sit: videndum est, an heredi ejus procedat usucapio? nam interruptitur usucapio: & si ipsi reverso non prodest, quem admodum heredi ejus proderit? Sed verum est, cum in sua vita desuisse possidere; ideoque nec 39 postliminium ei prodest, ut videatur usucepisse. Quod si servus ejus, qui in hostium potestate est, emerit: in pendenti esse usucapionem, Julianus ait: nam si dominus reversus fuerit, intelligi usucapionem 40: si ibi decesserit, dubitari, an per Legem Corneliam ad successores ejus pertineat? Marcellus, posse plenius fictionem Legis accipi: quemadmodum enim postliminio reversus plus juris habere potest in his, quæ servi egerunt, quam his, quæ per se, vel per servum possidebat, cum ad hostes pervenit? Nam hereditatem in quibusdam vice 41 personæ fungi receptum est: ideoque in successoribus locum (non) habere usucapionem. §. 1. Si servus, quem possidebam, fugerit 42: si pro libero se gerat, videbitur a domino possideri; sed hoc tunc intelligendum est, cum, si adprehensus fuerit: non sit paratus pro sua libertate litigare: nam si paratus sit litigare, non videbitur a domino possideri, cui se adversarium præparavit. §. 2. Si quis bona fide possidens, ante 43 usucapionem amissa possessione, cognoverit esse rem alienam, & iterum nanciscatur possessionem, non capiet usu: quia initium secundæ possessionis vitiosum est. §. 3. Si ex testamento, vel ex stipulatu res debita nobis tradatur: ejus temporis existimationem (nostram) intuendam, quo traditur: quia concessum est stipulari rem, etiam quæ promissoris non sit.

*De pignore.*

16. JAVOLENUS ( lib. 4. ex Plautio. )

Servi nomine, qui pignori datus est, ad 44 exhibendum cum creditore, non cum debitore, agendum est: quia qui pignori dedit, ad 45 usucapionem tantum possidet; quod ad reliquas omnes causas pertinet, qui accepit, possidet 46: adeo ut addici possit & possessio ejus, qui pignori dedit.

*Pro adjudicato.*

17. MARCELLUS ( lib. 17. Digestorum. )

Si per errorem de alienis fundis, quasi de communibus, iudicio communi dividendo accepero, ex adjudicatione possidere coeperim: longo tempore capere possum.

*De fisco, & bonis vacantibus.*

18. MODESTINUS ( lib. 5. Regularum. )

Quamvis adversus fiscum 47 usucapio non procedat, tamen ex bonis vacantibus, nondum tamen nunciatis, emtor prædii ex iisdem bonis existiterit: recte diutina possessione capiet; idque constitutum est.

(35. Adde l. 1. C. commun. de usucap. (36. l. 2. §. 16. infr. pro emtore (37. l. 15. §. 2. §. pen. infr. de divers. temporal. præscript. (38. l. 13. §. 10. supr. tit. prox. (39. v. l. 19. supr. ex quib. caus. major. (40. l. 23. §. 3. supr. d. i. (41. l. 31. in fin. supr. de heredibus institucadis. (42. v. l. 1. C. de longi tempor. præscr. quæ pro libert. (43. l. 7. §. 4. infr. pro emtore. (44. l. 3. in fin. supr. ad exhibend. (45. l. 33. §. 4. infr. h. t. l. 1. §. 15. supr. tit. prox. (46. l. 35. in fin. supr. de pignorat. (47. l. 24. in fin. infr. h. t. l. 2. C. commun. de usucap. §. 9. Inst. h. t.



## De accessione possessionis.

19. JAVOLENUS (lib. 1. Epistolarum.)

Si hominem emisti, ut, si aliqua conditio existisset, inemptus fieret, & is tibi traditus est; & postea conditio emtionem resolvit 48: tempus, quo apud emtorem fuit, accedere venditori debere existimo: quoniam eo genere retroacta venditio esset redhibitioni similis, in qua non dubito, tempus ejus, qui redhibuerit, venditori accessurum, quoniam ea venditio proprie dici non potest.

20. IDEM (lib. 4. Epistolarum.)

Possessio testatoris ita heredi procedit, si 49 medio tempore a nullo possessa est.

Si possessor rem domino locaverit, aut vendiderit.

21. IDEM (lib. 6. Epistolarum.)

Ei, a quo fundum pro herede diutius possidendo capturus eram, locavi eum: an ullius momenti eam locationem existimes, quæro; quod si nullius momenti existimas, an durare nihilominus usucapionem ejus fundi putes? Item quæro, si eidem vendidero eum fundum: quid de his causis, de quibus supra quæsi, existimes? Respondit, si is, qui pro herede fundum possidebat, domino eum locavit, nullius momenti locatio est: quia 50 dominus suam rem conduxisset, sequitur ergo, ut ne possessionem quidem locator retinuerit: ideoque longi temporis præscriptio non durabit; in venditione 51 idem juris est, quod in locatione, ut emtio 52 suæ rei consistere non possit.

## De herede, &amp; hereditate.

22. IDEM (lib. 7. Epistolarum.)

Heres, & hereditas, tametsi duas appellationes recipiunt, unius personæ tamen vice 53 funguntur.

## De toto, &amp; partibus.

23. IDEM (lib. 9. Epistolarum.)

Eum, qui ædes mercatus est, non puto aliud, quam ipsas 54 ædes, possidere; nam si singulas res possidere intelligatur, ipsas (ædes) non possidebit: separatis enim corporibus, ex quibus ædes constant, universitas ædium intelligi non poterit; accedit eo quod si quis singulas res possideri dixerit, necesse erit, dicat, possessione superficiæ temporibus de mobilibus statutis 55 locum esse, solum se capturum esse ampliori: quod absurdum, & minime Juri civili conveniens est, ut una res diversis temporibus capiatur; utputa cum ædes ex duabus rebus constant, ex solo 56, & superficie, & universitas earum possessionem temporis immobilium rerum omnium mutet. §. 1. Si autem columna evicta fuerit: puto te ex emto cum venditore recte acturum, & eo genere rem salvam habiturum. §. 1. Si autem demolita 57 domus est, ex integro res mobiles possidendæ sunt: ut tempore, quod in usucapione rerum mobilium constitutum est, usucapiantur, & non potest recte uti eo tempore, quo in ædificio fuerunt; nam quemadmodum eas solas, & separatas ab ædificio non possidisti, sic nec penes 58 te singulæ, aut separatæ fuerunt, (&) coherentibus his in ædificio, depositis ædibus, quæ hoc quoque ipsum continent: neque enim recipi potest, ut eadem res, & ut res soli, & tamquam mobilis sit possessa.

## De legis prohibitione. 1. De defuncto, &amp; herede.

24. POMPONIUS (lib. 24. ad Quintum Mucium.)

Ubi 59 lex inhibet usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest. §. 1. Interdum, etiamsi non fuerit incohata usucapio a defuncto, procedit heredi ejus; veluti si vitium, quod obstabat, non ex persona, sed ex re, purgatum fuerit. (Ex re,) utputa, si fisci 60 res esse desierit, aut furtiva, aut vi 61 possessa.

## De possessione.

25. LICINIUS RUFINUS (lib. 1. Regularum.)

Sine 62 possessione usucapio contingere non potest.

## De superficie.

26. ULPIANUS (lib. 29. ad Sabinum.)

Numquam superficies sine solo capi longo tempore potest.

## De titulo opinato.

27. IDEM (lib. 31. ad Sabinum.)

Celsus libro XXXIV. errare eos ait, qui existimarent, cujus rei quisque bona fide adeptus sit possessionem, pro suo usucapere eum posse; nihil referre, emerit, necne, donatum sit, necne, si modo emtum, vel donatum 63 sibi existimaverit: quia neque pro legato, neque pro donato, neque pro dote usucapio valeat, si nulla donatio, nulla dos, nullum legatum sit. † Idem & in litis æstimatione placet, ut nisi vere quis litis æstimationem fuerit, usucapere non possit.

## De servo furioso, vel infans.

28. POMPONIUS (lib. 17. ad Sabinum.)

Si servo 64 furioso, vel infantis res tradita sit, usu per eum eas personas capere posse constat.

De eo, quod ex asse heres alii quasi pro parte heredi tradidit.

29. IDEM (lib. 22. ad Sabinum.)

Cum solus heres essem, existimarem autem, te quoque pro parte heredem esse, res hereditarias pro parte tibi tradidi, propius est, ut usu eas capere non possis; quia nec pro herede usucapi potest, quod ab herede possessum est, neque aliam ullam habes causam possidendi; ita tamen hoc verum est, si non 65 ex transactione id factum fuerit. Idem dicimus, si tu quoque existimes, te heredem esse: nam hic quoque possessio veri heredis obstabit tibi.

## De rerum mixtura, &amp; triplici corporum genere.

30. IDEM (lib. 30. ad Sabinum.)

Rerum mixtura facta an usucapionem cujusque præcedentem interrumpit, quæritur? Tria autem genera sunt corporum: Unum, quod continetur uno spiritu 66, & Græce *ἑνὸν πνεῦμα*, id est, unicum vocatur; ut homo, tignum, lapis, & similia. Alterum, quod ex contingentibus, hoc est, pluribus inter se coherentibus constat, quod *συννημμένον*, id est, connexum vocatur; ut ædificium, navis, armarium. Tertium, quod ex distantibus constat; ut corpora plura non soluta, sed uni nomini subjecta, veluti populus, legio, grex. 67 Primum genus (in) usucapione quæstionem non habet: secundum, & tertium habet. §. 1. Labeo libris epistolarum ait: Si is, cui ad tegulorum, vel columnarum usucapionem decem dies superessent 68, in ædificium eas conjecisset; nihilominus eum usucapturum, si ædificium possedisset. † Quid ergo in his, quæ non quidem implicantur rebus soli, sed mobilia permanent, ut in anulo, gemma? In quo verum est, & aurum, & gemmam possideri, & usucapi; cum utrumque maneat integrum §. 2. De tertio genere corporum videndum est; non autem grex universus sic capiatur usu, quomodo singulæ res: nec sic, quomodo coherentes; quid ergo (est?) Etsi ea natura ejus est, ut adjectionibus corporum maneat; non item tamen universi gregis ulla est usucapio: sed singulorum animalium sicuti possessio, ita & usucapio; nec si quid emtum 69 immixtum fuerit gregi, augendi ejus gratia, idcirco possessionis causa mutabitur; ut si reliquus grex domini mei sit, hæc quoque ovis: sed singulæ suam causam habebunt, ita ut, si quæ futura erunt, sint quidem ex grege, non tamen usucapiantur.

De errore juris. 1. Tempus continuum numerari. 2. De servo, qui in libertate moratur. 3. De servo, filio, colono, inquilino. 4. De furore. 5. De tempore vacuo. 6. De defuncto, & herede.

31. PAULUS (lib. 32. ad Sabinum.)

Numquam in usucapionibus juris 70 error possessori prodest; & ideo Proculus ait; Si per errorem initio venditionis tutor pupillo auctor factus sit: vel post longum tempus venditionis peractum, usucapi non posse: quia juris error est. §. 1. In usucapionibus mobilium continuum tempus numeratur. §. 2. Servus, licet in libertate moretur, nihil possidet, nec per eum alius; atquin si 71 nomine alicujus, dum in libertate moratur, nactus fuerit possessionem, adquiret ei, cujus nomine nactus fuerit. §. 3. Si servus meus, vel filius peculiari 72, vel etiam meo nomine quid tenet, ut ego per eum ignorans 73 possideam, vel etiam usucapiam: si is furere cœperit, donec in eadem causa res fuerit, intelligendum est, & possessionem apud me remanere, & usucapionem procedere

(48. l. 13. §. 2. supr. de acquir. vel amitt. possess. (49. l. 6. in fin. infr. pro emtore. d. l. 13. §. 4. (50. l. 45. in pr. infr. de reg. jur. (51. Adde l. 33. §. 5. infr. h. t. (52. l. 16. in pr. supr. de contrah. emt. (53. l. 31. in fin. supr. de hered. instit. (54. l. 30. in pr. supr. tit. prox. (55. Inst. h. t. in pr. (56. l. 49. in pr. supr. de rei vind. (57. l. 23. in fin. supr. d. t. (58. v. l. 63. infr. de verb. sign. (59. §. 2. Inst. h. t. l. 2. C. pro donato. (60. l. 18. supr. h. t. l. 2. C. commun. de usucap. (61. l. ubi. infr. vi honor. rap. (62. l. 44. in fin. infr. h. t.

(63. l. 1. in pr. infr. pro donato. (64. l. 1. §. 5. l. 24. l. 32. in fin. supr. tit. prox. l. 36. C. de donat. l. 10. §. 2. supr. de acquir. rer. domin. (65. l. 8. C. pro emtore. (66. l. 23. §. 5. supr. de rei vind. (67. l. 1. in fin. l. 23. §. 5. supr. d. t. §. 18. Inst. de legat. (68. Adde l. 16. in fin. supr. de fundo dotali. (69. §. 28. in fin. Inst. de rer. divis. l. 78. infr. de solution. (70. l. 32. §. 1. infr. h. t. l. 4. supr. de jur. & facti ignor. l. 2. §. 15. infr. pro emtor. l. 4. C. qui bonis cedere. (71. l. 34. in fin. supr. tit. prox. (72. l. 47. in fin. infr. h. t. (73. l. 1. §. 5. supr. tit. prox.



sicuti per dormientes quoque eos idem nobis contingeret. † Idemque in colono, & inquilino, per quos possidemus, dicendum est. §. 4. Si vi, aut clam, aut precario possessionem nactus quis, postea furere 74 cœperit: & possessio, & causa eadem durat de hoc, quod precario furiosus habet; quemadmodum interdicto quoque uti possidetis furiosi nomine recte experimur ejus possessionis nomine, quam ante furorem per se, vel post furorem per alium nactus est. §. 5. Vacuum tempus, quod ante 75 aditam hereditatem, vel post aditam intercessit, ad usucapionem heredi procedit. §. 6. Si defunctus emit, heres autem putat 76, eum ex donationis causa possedisse: usu eum capturum, Julianus ait.

*Si fur rem furtivam a domino emerit. 1. De errore juris. 2.*

*De parte incerta.*

32. POMPONIUS (lib. 32. ad Sabinum.)

**S**i fur rem furtivam a domino emerit 77, & pro tradita habuerit: definit eam pro furtiva possidere, (&) incipiet 78 pro suo possidere. §. 1. Si quis id, quod possidet, non putat sibi per Leges licere usucapere: dicendum est, etiam si erret, non procedere tamen ejus usucapionem: vel quia non bona fide videatur possidere, vel quia 79 in jure erranti non procedat usucapio. §. 2. Incertam 80 partem possidere nemo potest. Ideo si plures sint in fundo, qui ignorent, quotam quisque partem possideat: neminem eorum, mera subtilitate, possidere, Labeo scribit.

*De partu ancilla furtiva. 1. De causa possessionis sibi non mutanda. 2. De vi dejecto. 3. De cessione possessionis. 4. De pignore, commodato, deposito.*

33. JULIANUS (lib. 44. Digestorum.)

**N**on solum bonæ fidei emtores, sed & omnes, qui possident ex ea causa, quam usucapio sequi solet, partum 81 ancillæ furtivæ usu suum faciunt: idque ratione juris introductum arbitror: nam ex qua causa quis ancillam usucaperet, nisi Lex 82 XII. Tabularum, vel Atinia 83 obstaret: ex ea causa necesse est partum usucapi, si apud eum conceptus, & editus eo tempore fuerit, quo furtivam esse matrem ejus ignotabat. §. 1. Quod vulgo respondetur 84, *ipsum sibi causam possessionis mutare non posse*: totiens verum est, quotiens quis sciret, se bona fide non possidere, & *lucri faciendi* causa inciperet possidere; idque per hæc probari posse: Si quis emerit fundum sciens ab eo, cujus non erat, possidebit pro possessore: sed si eundem a domino emerit, incipit pro emtore possidere; nec 85 videbitur sibi ipse causam possessionis mutasse. † Idemque juris erit, etiam si a non domino emerit, cum existimaret eum dominum esse. Idem hic, si a domino heres institutus fuerit, vel bonorum ejus possessionem acceperit, incipiet fundum pro herede possidere. † Hoc amplius, si 86 justam causam habuerit existimandi, se heredem, vel bonorum possessorem domino existisse, fundum pro herede possidebit: nec 87 causam possessionis sibi mutare videbitur. † Cum hæc igitur recipiantur in ejus persona, qui possessionem habet: quanto magis in colono recipienda sunt, qui nec vivo, nec mortuo domino ullam possessionem habet? & certe si colonus mortuo domino emerit fundum ab eo, qui existimabat se heredem ejus, vel bonorum possessorem esse: incipiet pro emtore possidere. §. 2. Si dominus fundi homines armatos venientes existimaverit, atque ita profugerit: quamvis nemo eorum fundum ingressus fuerit; vi dejectus videtur 88: sed nihilominus id prædium, etiam antequam in potestate domini redeat, a bonæ fidei possessore usucapiatur: quia Lex 89 Plautia, & Julia ea demum vetuit longa possessione capi, quæ vi possessa fuissent: non etiam ex quibus vi quis dejectus fuisset. §. 3. Si mihi Titius, a quo fundum petere volebam, possessione cesserit: usucapionis causam justam habebam. Sed & is, a quo ex stipulatu fundum petere volebam, cedendo mihi possessione, si solvendi causa id fecerit: eo ipso efficiet, ut fundum longo tempore capiam. §. 4. Qui pignori 90 rem dat, usucapit, quamdiu res apud creditorem est: si creditor ejus possessionem alii tradiderit, interpellabitur usucapio, & quantum ad usucapionem attinet, similis est ei, qui quid depo-

suit, vel commodavit; quos palam est desinere usucapere, si commodata vel deposita res, alii tradita fuerit ab eo, qui commodatum vel depositum accepit. † Plane si creditor nuda conventionione hypothecam contraxerit, usucapere debitor perseverabit. §. 5. Si rem tuam, cum bona fide possiderem, pignori tibi dem ignorantem tuam esse; desino usucapere: quia *non intelligitur quis suæ rei pignus contrahere*. At si nuda conventionione pignus contractum fuerit; nihilominus usucapiam: quia hoc quoque modo nullum pignus contractum videtur. §. 6. Si rem pignori datam creditoris servus subripuerit, cum eam creditor possideret: non interpellabitur usucapio debitoris: quia servus dominum suum possessione non subvertit 92. † Sed & si debitoris servus subripuerit, quamvis creditor possidere desinat, tamen debitori usucapio durat: non secus, ac si eam creditor debitori tradidisset: nam quantum ad usucapiones attinet, servi 93 subtrahendo res, non faciunt deteriorem dominorum conditionem. † Facilius obtinebitur, si precario possidente debitor, servus ejus subripuerit: nam conductio idem 94 præstat, quod si apud creditorem res esset: possidet enim hoc casu creditor. † Sed (&) si utrumque intercesserit, & precarii rogatio, & conductio: intelligitur creditor possidere, & precarii rogatio, non in hoc interponitur, ut debitor possessionem habeat, sed ut ei tenere rem liceat.

*De re peculiari a servo vendita.*

34. ALFENUS VARUS (lib. 1. Digestorum a Paulo Epitomatorum.)

**S**i servus insciente domino rem peculiarem vendidisset: emtorem usucapere posse.

*De homine, cujus ususfructus legatus est, surrepto.*

35. JULIANUS (lib. 3. ad Ursejum Ferozem.)

**S**i homo, cujus ususfructus legatus erat, ab herede nunquam possessus, subreptus fuisset: quæsitum est, quia 95 heres furti actionem non 96 haberet, an usucapi possit? Sabinus respondit, nullam ejus rei usucapionem esse, cujus nomine furti agi posset: agere autem furti eum, qui frui deberet, posse. Quod sic accipiendum est, ut fructuarius poterit uti frui: aliter enim homo in causa non perduceretur: sed si utenti jam, & fruenti abductus homo fuerit, non solum ipse, sed etiam heres furti agere poterit.

*De re a non domino alienata.*

36. GAJUS (lib. 2. rerum quotidianarum, sive aureorum.)

**P**otest 97 pluribus modis accidere, ut quis rem alienam aliquo errore deceptus tamquam suam vendat forte aut donet: & ob id a bonæ fidei possessore res usucapi possit. Veluti si heres rem defuncto commodatam aut locatam, vel apud eum depositam, existimans hereditariam esse, alienaverit. §. 1. Item si quis aliqua existimatione deceptus, crediderit ad se hereditarem pertinere, quæ ad eum non pertineat, & rem hereditariam alienaverit: aut si 98 is, ad quem ususfructus ancillæ pertinet, partum (ejus) existimans suum esse, quia & foetus pecudum ad fructuarium pertinet, alienaverit:

37. IDEM (lib. 2. Institutionum.)

**F**urtum non committitur; furtum enim sine 99 affectu furandæ non committitur. 100. §. 1. Fundi quoque alieni potest aliquis sine 101 vi nancisci possessionem: quæ vel ex negligentia domini vacet, vel quia dominus sine successore decefferit, vel longo tempore abfuerit.

38. IDEM (lib. 2. rerum quotidianarum, sive aureorum.)

**Q**uam rem ipse quidem non potest usucapere: quia intelligit alienum se possidere, & ob id mala fide possidet: sed si alii bona fide accipienti tradiderit, poterit is usucapere; quia neque vi possessum, neque furtivum possidet: abolita est enim quorundam 102 veterum sententia existimantium, etiam fundi, locive furtum fieri.

*De superficie.*

39. MARCIANUS (lib. 3. Institutionum.)

**S**i solum usucapi non poterit, nec 103 superficies usucapietur.

(74. l. 27. supr. d. t. (75. l. 44. §. 3. inf. h. t. (76. d. l. 44. §. 4. l. 2. §. 2. infr. pro emtor. (77. l. 6. §. 3. in fin. infr. de precario. (78. l. 24. infr. de furtis. (79. l. 31. in pr. supr. h. t. (80. l. 3. §. 2. l. 26. supr. tit. prox. (81. l. 10. in fin. supr. h. t. l. 11. §. 4. supr. de Publiciana. l. 48. §. 5. infr. de furtis. l. 3. C. de usucap. pro emtore. (82. §. 2. Inst. h. t. (83. l. 4. §. 6. supr. eod. (84. l. 3. §. 19. supr. tit. prox. l. 2. §. 1. infr. pro herede l. 23. in fin. C. de locatio. (85. Immo vide l. 2. in fin. infr. pro emtore (86. §. 3. vers. pro herede. Inst. de interd. (87. l. 2. §. 1. infr. pro herede (88. Vide tamen l. 9. in pr. supr. quod metus causa. l. 3. §. 7. infr. de vi, & vi armata. (89. §. 2. Inst. h. t. (90. l. 16. supr. eod.

(91. l. 45. in pr. infr. de reg. jur. adde l. 21. in fin. supr. h. t. (92. l. 45. in fin. supr. tit. prox. (93. §. l. 40. in pr. supr. d. t. (94. l. 37. supr. de pignor. act. (95. l. 33. §. 1. supr. de acquir. rer. domin. (96. Vide tamen l. 10. C. de furtis. (97. §. 4. Inst. h. t. (98. §. 5. Inst. eod. (99. l. 53. in pr. infr. de furtis. §. 18. Inst. de obl. qua ex delict. §. 3. & 5. Inst. h. t. (100. Obft. l. 77. infr. de furt. (101. §. 7. Inst. h. t. (102. d. §. 7. vers. abolita l. 25. in pr. infr. de furt. (103. arg. l. 26. supr. h. t.



*De tempore vacuo.*

40. NERATIUS ( lib. 5. Regularum. )

**C**ceptam usucapionem a defuncto, posse & ante 104 aditam hereditatem impleri, constitutum est.

*Si rem domino surreptam procurator ejus apprehenderit.*

41. IDEM ( lib. 7. Membranarum. )

**S**i rem surreptam mihi procurator meus apprehendit, quamvis per procuratorem possessionem adipisci nos, jam fere conveniat: nihilo magis eam in potestatem meam rediisse, usuque capi posse existimandam est: quia contra statui captiosum erit.

*De pradio dotali. Si venditor domino successerit.*

42. PAPINIANUS ( lib. 3. Quæstionum. )

**C**um vir prædium dotale vendidit scienti, vel ignoranti rem dotis esse: venditio non valet 105: quam defuncta postea muliere in matrimonio, confirmari convenit, si tota dos lucro mariti cessit. † Idem juris est, cum is, qui rem furtivam vendidit, postea domino heres exstitit 106.

*De bona, & mala fide.*

43. IDEM ( lib. 22. Quæstionum. )

**H**eres ejus, qui bona fide emit, usu non capiet sciens alienum, si modo ipsi possessio tradita sit: continuatione 107 vero non impediatur heredis scientia. §. 1. Patrem usu non capturum, quod filius emit, propter suam, vel filii scientiam, certum est 108.

*De justo errore. 1. De ratihabitione. 2. Quo tempore spectatur bona fides. 3. De tempore vacuo. 4. De errore. 5. De pignore, de usufructu. 6. De furore. 7. De filio, vel servo captivi.*

44. IDEM ( lib. 23. Quæstionum. )

**J**usto errore ductus Titium filium meum, & in mea potestate esse existimavi, cum adrogatio non jure intervenisset; eum ex re mea quærere mihi non existimo; non enim constitutum est in hoc, quod in homine libero, qui bona fide servit, placuit: ibi propter assiduam, & quotidianam comparationem servorum ita constitui publice interfuit; nam frequenter ignorantia liberos emimus; non autem tam facilis, frequens, adoptio, vel adrogatio filiorum est. §. 1. Constat, si rem alienam scienti mihi vendas, tradas autem eo tempore, quo 109 dominus ratam habet, traditionis tempus inspiciendum, remque meam fieri. §. 2. Etsi possessionis, non contractus initium 110, quo ad usucapionem pertinet, inspicitur: nonnumquam tamen evenit, ut non initium præsentis possessionis, sed causam antiquiorem traditionis, quæ bonam fidem habuit, inspiciamus. Veluti circa partum ejus mulieris, quam bona fide cœpit possidere: non enim ideo minus capietur usu puer, quod alienam matrem, priusquam eniteretur, esse cognovit. † Idem in servo postliminio reverso dictum est. §. 3. Nondum 111 aditæ hereditatis tempus usucapioni datum est, si servus hereditarius aliquid comparat, si defunctus usucapere cœperat: sed hæc jure singulari recepta sunt. §. 4. Filiusfamilias emtor alienæ rei, cum patremfamilias se factum ignoret, cœpit rem sibi traditam possidere: cur non capiat usu, cum bona fides initio possessionis adsit, quamvis eum se per errorem esse arbitretur, qui rem ex causa peculiari quæsitam 112 nec possidere possit? Idem dicendum erit, & si ex patris hereditate ad se pervenisse rem emtam non 113 levi præsumptione credat. §. 5. Non mutat usucapio superveniens pro emtore, vel pro herede, quo 114 minus pignoris persecutio salva sit; ut enim usufructus usucapi 115 non potest, ita persecutio pignoris, quæ nulla societate dominii 116 conjungitur, sed sola conventionione constituitur, usucapione rei non perimitur. §. 6. Eum, qui posteaquam usucapere cœpit, in furorera 117 incidit, utilitate suadente relictum est, ne languor animi damnum etiam in bonis adferat, ex omni causa implere usucapionem. §. 7. Si cum apud hostes dominus, aut pater agat, servus aut filius emat: an & tenere incipiat? Si quidem ex causa peculii possedit, usucapionem inchoari; nec impedimento domini captivitatem esse, cujus scientia non esset in civitate necessaria; si vero non ex causa peculii comparatur, usu non capi, nec jure 118 postliminii quæsitum in

telligi; cum prius esset, ut, quod usucapum 119 diceretur, possessum foret; si autem pater ibi decesserit: quia tempora captivitatis ex die, quo capitur, morti jungerentur, potest filium dici & possedisse sibi, & usucepisse intelligi.

*De locis juris gentium, vel publicis. 1. De servo hereditario:*

45. IDEM ( lib. 10. Responsorum. )

**P**ræscriptio longe possessionis ad obtinenda loca juris gentium 120 publica concedi non solet: quod ita procedit, si quis ædificio funditus diruto, quod in littore posuerat, aut dereliquerat ædificium, alterius postea eodem loco extracto occupantis datam exceptionem opponat: vel si quis, quod in sinibus publici diverticulo solus pluribus annis piscatus sit, alterum eodem jure prohibeat. 121 §. 1. Post mortem domini servus hereditarius peculii nomine rem cœpit tenere: usucapionis primordium erit tempus hereditatis aditæ: quemadmodum etenim usucapietur, quod ante defunctus non possederat?

**PRO SOLUTO.**

46. HERMOGENIANUS ( lib. 5. Juris Epitomarum. )

**P**ro soluto usucapit, qui rem debiti causa recipit: & non tantum quod debetur, sed & quodlibet pro debito solutum, hoc titulo usucapi potest.

*De ignorantia.*

47. PAULUS ( lib. 3. ad Neratium. )

**S**i emtam rem mihi procurator ignorante me, meo nomine apprehenderit: quamvis possideam, (eam) non usucapiam: quia ut 122 ignorantes usuceperimus, in peculiaribus tantum rebus receptum est.

*De titulo opinato, quo tempore spectatur bona fides.*

48. IDEM ( lib. 2. Manualium. )

**S**i existimans debere tibi tradam, ita demum usucapio sequitur, si 123 & tu putas debitum esse. † Aliud si putem, me ex 124 causa venditi teneri, & ideo tradam: hic enim, nisi actio præcedat, pro emtore usucapio locum non habet. † Diversitatis causa in illo est, quod in ceteris causis 125 solutionis tempus inspiciatur: neque interest, cum stipulor, sciam alienum esse, necne sufficit enim, me putare meum esse, cum solvis; in 126 emtione autem & contractus tempus inspiciatur, & quod solvitur: nec potest pro emtore usucapere, qui non emit; nec pro soluto, sicut in ceteris contractibus.

*De re surrepta.*

49. LABEO ( lib. 5. Pithanon a Paulo Epitomatorum. )

**S**i quid est subreptum 127, id usucapi non potest, antequam in domini potestatem pervenerit. Paulus; Imo forsitan, & contra; nam si id, quod mihi pignori dederis, subriperis: erit ea res furtiva facta; sed, simul 128 atque in meam potestatem venerit, usucapi poterit.

**TIT. IV.****PRO EMTORE 1.***De litis æstimatione.*

1. GAJUS ( lib. 6. ad Edictum provinciale. )

**P**ossessor, qui litis æstimationem obtulit, pro emtore incipit possidere 2.

*De titulo opinato. De bona fide. 2. De conditione. De errore. 3. De lege commissoria. 4. De in diem additione. 5. De pacto, ut si res displicuerit intra diem certum, inempta sit. 6. De traditione rei non emta pro re emta, vel una cum re emta. 7. De deposito. 8. De tutore. 9. Vel procuratore emente. 10. De servo. 15. De pupillo vendente. De errore juris, vel facti. 16. De furioso vendente. 17. De eo, qui usucapiebat, vendente. 18. De accessione possessionis. 20. De litis contestatione. 21. De donatione.*

2. PAULUS ( lib. 54. ad Edictum. )

**P**ro emtore possidet, qui revera emit; nec sufficit tantum in ea opinione esse eum, ut putet se pro emtore possidere: sed debet etiam fuisse causa emtionis. Si tamen existimans me debere, tibi ignorantem tradam, usucapies. † Quare ergo, & si putem me vendidisse, & tradam, non capies usu? scilicet, quia in

(119. l. 25. supr. h. t. (120. l. 9. supr. eod. (121. Obst. l. 7. infr. de divers. temporal. præscript. (122. l. 2. §. 11. infr. tit. prox. (123. l. 3. infr. pro suo. (124. l. 2. in pr. infr. tit. prox. (125. l. 10. in pr. supr. h. t. l. 2. circa fin. pr. infr. tit. prox. (126. d. l. 2. in fin. pr. (127. §. 2. Inst. h. t. l. 2. C. de usucap. pro donato. (128. Obst. l. 5. infr. tit. prox.

TIT. IV. (1. Lib. 7. C. 26. (2. l. 3. infr. h. t. l. 46. supr. de rei vind. l. 1. in pr. supr. de æstimator. (3. l. 1. in pr. infr. pro donato. l. 48. supr. sig. prox.

(104. l. 31. §. 5. supr. eod. l. 6. in fin. inf. tit. prox. d. l. 30. in pr. supr. ex quib. caus. major. (105. l. un. §. 15. C. de rei uxor. act. (106. l. 1. C. creditorem evict. pignor. (107. l. 2. §. 19. infr. tit. prox. §. 12. Inst. h. t. (108. Vide tamen l. 2. §. 13. inf. tit. prox. (109. Adde l. 16. §. 1. sup. de pignor. (110. l. 4. §. 18. sup. h. t. l. un. vers. hoc tantum modo. C. de usucap. transfor. (111. l. 31. §. 5. supr. h. t. l. 2. §. 18. infr. pro emtore. (112. l. 49. §. 1. supr. tit. prox. (113. v. l. 31. in fin. supr. h. t. (114. l. 1. §. 2. supr. de pignorib. (115. l. 17. §. 2. supr. de usufr. l. 19. supr. quib. mod. usufr. (116. d. l. 1. §. 2. (117. l. 4. §. 3. supr. h. t. (118. v. l. 19. in fin. supr. ex quib. caus. major.



ceteris contractibus 4 sufficit traditionis tempus; sic denique, si sciens stipuler rem alienam, usucapiam: si, cum traditur mihi, existimem illius esse: at in 5 emtione & illud tempus inspicitur, quo contrahitur. Igitur & bona fide emisse debet, & possessionem bona fide adeptus esse. §. 1. Separata est causa possessionis, & usucapionis; nam vere dicitur quis emisse, sed mala fide: quemadmodum qui sciens alienam rem emit, pro emtore possidet, licet 6 usu non capiat. §. 2. Si sub conditione emtio facta sit, pendente 7 conditione emtor usu non capit. † Idemque est, & si putet conditionem existitisse, quæ nondum existit: similis est enim ei, qui putat se emisse. † Contra si existit, & ignoret: potest dici secundum Sabinum, qui *potius substantiam intuetur, quam opinionem*, usucapere eum. † Est tamen nonnulla diversitas: quod ibi, cum rem putat alienam, quæ sit venditoris, affectionem emtoris habeat: at cum nondum putat conditionem existitisse, quasi nondum putat sibi emisse; quod apertius quæri potest, si cum defunctus emisset, heredi ejus tradatur, qui 8 neiciat defunctum emisse, sed ex alia causa sibi tradi: an usucapio cesset? §. 3. Sabinus, si sic emta sit, ut nisi pecunia intra diem certum soluta esset, inemta res fieret, non usucapitur, nisi persoluta pecunia: sed videamus, utrum 9 conditio sit hoc, an conventio? si conventio est, magis resolvetur, quam implebitur. §. 4. Si in diem additio facta sit, (id est, nisi si quis meliorem conditionem attulerit,) perfectam esse emtionem, & fructus 10 emtoris effici, & usucapionem procedere, Julianus putabat: alii, & hanc sub conditione esse contractam: ille non contrahi, sed resolvi 11 dicebat; quæ sententia vera est. §. 5. Sed & illa emtio pura est, ubi convenit, ut 12, si displicuerit intra diem certum, inemta sit. §. 6. Cum Stichum emissem, Dama per 13 ignorantiam mihi pro eo traditus est: Priscus ait, usu me eum non captum: quia id, quod emtum non sit, pro emtore usucapi non potest. Sed si fundus emtus sit, & ampliores fines possessi sint; totum longo tempore capi: quoniam universitas 14 ejus possideatur, non singulæ partes. §. 7. Ejus bona emitti, apud quem mansipia deposita erant: Trebatius ait, usu (te) non captum: quia emta non sint. §. 8. Tutor ex pupilli auctione rem, quam ejus putabat esse, emit: Servius ait, posse eum usucapere, in cujus opinione decursum est, eo quod deterior causa pupilli non sit, si propius habeat emtorem; & si minoris emerit, tutelæ iudicio tenebitur, ac si alii minoris addidisset: idque & a Divo Trajano constitutum dicitur. §. 9. Procuratorem quoque, qui ex auctione, quam mandatu domini facit, emerit, plerique putant, utilitatis causa pro emtore usucapitur. † Idem potest dici, & si negotia domini gerens ignorantis 15 emerit, propter eandem utilitatem. §. 10. Si servus tuus peculiari nomine emat rem, quam scit alienam: licet tu ignores alienam esse, tamen usu non capies. §. 11. Celsus scribit, si servus meus peculiari nomine adipiscatur possessionem, id etiam ignorantem 16 me usucapere; quod si non peculiari nomine, non nisi sciente me: & si vitiose cœperit possidere, meam vitiosam esse possessionem. §. 12. Pomponius quoque in his, quæ nomine domini possideantur, domini potius, quam servi voluntatem spectandam ait: quod si peculiari, tunc mentem servi quærendam; & si servus mala fide possideat, eamque dominus nactus sit, ut suo nomine possideat, adempto puta peculio: dicendum est, ut eadem causa sit possessionis; & ideo usucapio ei non magis procedat. §. 13. Si servus bona fide emerit, peculiari nomine, ego, ubi primum cognovi, sciam alienam: processuram usucapionem Celsus ait: initium 17 enim possessionis sine vitio fuisse; sed si eo (ipso) tempore, quo emit, quamquam id bona fide faciat, ego alienam rem esse sciam, usu me non captum. §. 14. Et si, quod non bona fide servus meus emerit, in pactionem libertatis mihi dederit: non ideo me magis usucapiturum; durare enim primam causam possessionis, idem Celsus ait. §. 15. Si a pupillo emero sine tutoris auctoritate, quem puberem esse putem: dicimus 18 usucapionem sequi: ut hic plus 19 sit in re, quam in exi-

(4. d. l. 48. (5. d. l. 48. in fin. (6. l. 2. C. de præscript. longi tempor. (7. l. 4. in pr. supr. de in diem addit. l. 8. in pr. vers. quod si pendente conditione res supr. de peric. & commodo rei vend. (8. l. 31. §. fin. supr. tit. prox. (9. l. 1. supr. de leg. commissor. (10. l. 6. in pr. supr. de in diem addit. (11. l. 2. supr. d. t. l. 1. supr. de lege commissor. (12. l. 3. supr. de contrah. emt. (13. l. 34. in pr. supr. de acquirend. vel amitt. possess. (14. l. 30. in pr. supr. d. t. (15. l. 19. §. 3. supr. de negot. (16. l. 8. in pr. supr. tit. proxim. (17. l. 43. supr. d. t. (18. Obst. l. 43. in pr. supr. de acquir. rer. domin. (19. Immo vide l. 15. supr. de acquir. vel amitt. hered.

stimatione; quod si 20 scias pupillum esse, putes tamen pupillis licere, res suas sine tutoris auctoritate administrare; non capies usu; quia juris error nulli prodest. §. 16. Si a furioso, quem putem sanæ mentis, emero: constitit 21 usucapere utilitatis causa me posse, quamvis nulla 22 esset emtio; & ideo neque de evictione actio nascitur mihi, nec Publiciana competit 23, nec accessio possessionis. §. 17. Si eam rem, quam pro emtore usucapiebas, scienti mihi alienam esse vendideris: non capiam usu. §. 18. Etiam heredi ulteriori defuncti possessio proderit, quamvis 24 medius heres possessionem ejus nactus non sit. §. 19. Si defunctus bona 25 fide emerit, usucapietur res, quamvis heres scit alienam esse. † Hoc (&) in bonorum possessione, & in fideicommissariis, quibus ex Trebelliano restituitur hereditas, ceterisque Prætoris successoribus observatam est. §. 20. Emtori 26 tempus venditoris 27 ad usucapionem procedit. §. 21. Si rem alienam emero, & cum usucaperem, eandem rem dominus a me petierit: non interpellari usucapionem meam litis contestatione. Sed si litis æstimationem sufferre maluerim, ait Julianus, causam possessionis mutari 28 ei, qui litis æstimationem sustulerit. † Idemque esse, si dominus ei, qui rem emisset a non domino, donasset. Eaque sententia vera est.

*De litis æstimatione.*

**L**itis æstimatio similis est 29 emtioni.

3. ULPIANUS (lib. 75. ad Edictum.)

*De emtore, qui sciebat partem esse alienam.*

4. JAVOLENUS (lib. 2. ex Plautio.)

**E**mtor fundi partem ejus alienam non esse ignoraverat 30: responsum est, nihil eum ex eo fundo longa possessione capturum: quod ita verum esse existimo, si quæ pars aliena esset in eo fundo, emtor ignoraverat. Quod si certum locum esse sciret, reliquas partes longa possessione capi posse non dubito. §. 1. Idem juris est, si is, qui totum fundum emebat, pro indiviso partem aliquam alienam esse scit: eam enim dumtaxat non capiet; ceterarum partium non impediatur longa possessione capio.

*De pignore surrepto.*

5. MODESTINUS (lib. 10. Pandectarum.)

**S**i rem, quam tibi pignoravi 31, subripuero, eamque distraxero; de usucapione dubitatum est; Et verius 32 est, utiliter cedere tempora usucapionis.

*De precario. 1. De emtore, qui sciebat quasdam ex rebus emtis esse alienas. 2. De tempore vacuo.*

6. POMPONIUS (lib. 32. ad Sabinum.)

**Q**ui, cum pro herede, vel pro emtore usucaperet, precario rogavit: usucapere non potest. Quid porro inter eas res interest, cum utrobique desinat ex prima causa possidere, qui precario vult habere? §. 1. Si ex decem servis, quos emerim, aliquos 33 partem alienos, & qui sint, sciam; reliquos usucapiam; quod si ignorem, qui sint alieni: neminem usucapere possum. §. 2. Post mortem ejus, qui hominem emerit, expleto tempore, quod defuisset ad usucapionem: quamvis eum hominem heres possidere non cœpisset, fiet tamen ejus; sed ita hoc, si 34 nemo (eum) possidisset.

*De parte fundo olim emto addita. 2. De eo, qui mandato servi emit, & ei manumisso tradidit. 3. De tutore. 4. De bona fide. 5. De prohibito deminuerere. 6. De procuratore vendente. 7. De re furtiva. 8. De libero homine bona fide serviente.*

7. JULIANUS (lib. 44. Digestorum.)

**Q**ui fundam pro emtore possidebat, antequam diutinam possessionem impleter, accessit; servi, qui in possessionem relicti fuerant, discesserunt relinquendæ ejus gratia: quaesitum est, an nihilominus heredi tempus longæ possessionis procedere potest? Respondit, etiam discedentibus 35 servis hoc tempus heredi procedere. §. 1. Si fundum Cornelianum pro emtore longa possessione

(20. l. 31. in pr. supr. tit. prox. (21. l. 13. §. 1. supr. d. t. (22. l. 2. C. de contrah. emt. (23. Obst. l. 7. §. 2. supr. de publician. (24. l. 4. §. 3. supr. tit. prox. (25. l. 43. in pr. supr. d. t. (26. l. 14. §. 1. l. 15. §. 2. infr. de divers. temporal. præscr. l. 76. §. 1. supr. de contrah. emt. §. 13. Inst. de usucap. (27. Adde l. 11. C. de præscr. long. tempor. (28. Vide tamen l. 23. §. 1. supr. tit. prox. (29. l. 1. supr. h. t. l. 46. supr. de rei vind. l. 7. §. 1. supr. de publician. l. 5. §. 1. supr. commodati l. 21. §. 2. supr. de evict. l. 1. supr. de æstimat. l. 22. in pr. supr. de acq. rer. amot. (30. l. 6. §. 1. infr. h. t. (31. l. 4. §. 21. supr. tit. prox. (32. Immo vide l. ult. supr. d. t. l. 6. C. h. t. (33. l. 4. in pr. supr. eod. l. 43. in pr. supr. de acquir. vel amitt. poss. (34. l. 13. §. 4. l. 40. §. 1. supr. d. t. (35. l. 1. §. 14. supr. d. t.



capiam, & partem ex vicini fundo ei adjiciam: utrum eam quoque partem reliquo tempore pro emtore capiā, an integro statuto tempore? Respondi, partes, quæ emtioni fundi adjiciuntur, propriam, ac separatam conditionem habent: & ideo possessionem quoque earum separatio nancisci oportere & longam possessionem earum integro statuto tempore impleri. §. 2. Servus meus Titio mandavit, ut fundum ei emeret: eique manumisso Titius possessionem tradidit. Quæsitum est, an longa possessione caperet? Respondit, si servus meus mandaverit Titio, ut fundum emeret, & manumisso ei Titius fundum tradiderit, cum putaret (&) peculium ei concessum esse; vel etiam cum ignoraret, peculium concessum non esse: nihilominus servum diutina possessione capere: quia aut scit servus, peculium sibi concessum non esse, aut scire debet: & per hoc similis est ei, qui se creditorem esse simulat; quod si scierit Titius peculium manumisso concessum non esse: donare potius, quam indebitum fundum solvere intelligendus est. §. 3. Si tutor rem pupilli subripuerit, & vendiderit: usucapio non contingit 36, prius quam res in potestatem pupilli redeat; nam tutor in re pupilli tunc domini 37 loco habetur, cum tutelam administrat, non cum pupillum spoliat. §. 4. Qui bona fide alienum fundum emit, & possessionem ejus amisit 38, deinde eo tempore apprehendisset, quo scit rem alienam esse: non capiet longo tempore: quia initium secundæ possessionis vitio non carebit. Nec 39 similis est ei, qui emtionis quidem tempore putat fundum vendentis esse, sed, cum traditur, scit alienum esse: cum enim semel amissa fuerit possessio, initium rursus recuperatæ possessionis spectari oportet 40: quare si eo tempore redhibeatur homo, quo emtor scit alienum esse, usucapio non contingit; quamvis, antequam venderet, in ea causa fuerit, ut usucaperet. † Idem juris est in eo, qui de fundo dejectus, possessionem per interdictum recuperavit, sciens jam alienum esse. §. 5. Qui sciens emit ab eo, quem Prætor ut suspectum heredem deminuere vetuit: usu non capiet. §. 6. Procurator tuus, si fundum, quem centum aureis vendere poterat, addixerit triginta aureis in hoc solum, ut te damno adficeret, ignorante emtore: dubitari non oportet, quin emtor longo tempore capiat. Nam & cum sciens quis alienum fundum vendidit ignorantem, non interpellatur longa possessio. † Quod si emtor cum procuratore collusit, & cum præmio corrupit, quo 41 vilius mercaretur: non intelligitur bonæ fidei emtor, nec longo tempore capiet: & si adversus petentem dominum uti cœperit exceptione rei voluntate ejus venditæ; replicationem doli utilem futuram esse. §. 7. Furtivares non intelligitur rediisse in domini potestatem, quamvis possideret (eam:) si modo ignoraverit surreptam sibi esse. Si igitur servum, qui tibi surreptus erat, ignorantem tibi tuum (esse), pignori dederis; & soluta pecunia, eum Titio vendideris: Titius usucapere non poterit. §. 8. Liber 42 homo, qui bona fide nobis servit, iisdem modis ex re nostra acquirat nobis, quibus per nostrum servum acquirere solemus: quare sicut traditione 43, ita usucapione rem nostram faciemus, interveniente libera persona: & si peculii nomine, quod nos sequi debet, emtio contracta fuerit: etiam ignorantes usucapiemus.

*De venditore consumpturo pecuniam.*

8. IDEM (lib. 2. ex Minicio.)

Si quis, cum sciret venditorem pecuniam statim consumpturum, servos ab eo emisisset; plerique responderunt, eum nihilominus bona fide emtorem esse; idque verius est: quomodo enim mala fide emisisset videtur, qui a domino emit? nisi forte & is, qui a luxurioso, & protinus scorto daturus pecuniam, servos emit, non usucapiet.

*De partu ancilla furtivæ.*

9. IDEM (lib. 3. ad Ursejum Fetocem.)

Qui ob 44 pactionem libertatis ancillam furtivam a servo accepit, potest 45 partum ejus, quasi emtor, usucapere.

10. IDEM (lib. 2. ad Minicium.)

Servus domino ancillam, quam surripuerat, pro capite suo dedit: ea concepit. Quæsitum est, an dominus eum partum usucapere possit? Respondit: Hic dominus quasi emtor partum usucapere potest: namque res ei abest pro hac muliere, & genere quodammodo venditio inter servum, & dominum contracta est.

(36. Vide tamen l. 14. in fin. supr. d. t. (37. l. 56. §. 4. infr. de furt. (38. l. 15. §. 2. supr. tit. prox. (39. Immo vide l. 10. in pr. supr. d. t. (40. Excip. l. 28. circa fin. supr. de noxalib. (41. l. 1. §. 3. supr. de except. rei vend. (42. l. 23. supr. de acquir. rer. domin. (43. l. 20. C. de pactis. (44. l. 10. infr. h. t. (45. Obi. l. 4. §. 16. supr. tit. prox.

*De errore falsæ causæ.*

11. AFRICANUS (lib. 7. Quæstionum.)

Quod vulgo traditum est, eum, qui existimat 46 se quid emisisset, nec emerit, non posse pro emtore usucapere: hætenus verum esse ait, si 47 nullam justam causam ejus erroris emtor habeat: nam si forte servus, vel procurator, cui emendam rem mandasset, persuaserit ei se emisisset, atque ita tradiderit: magis esse, ut usucapio sequatur.

*De pratorio pignore.*

12. PAPINIANUS (lib. 10. Responsorum.)

Missio 48 legatario in possessionem, res pro emtore usucapiuntur, salva 49 pratorii pignoris causa.

*De denunciatione.*

13. SCÆVOLA (lib. 5. Responsorum.)

Alienam aream bona fide emit, & ante impletam diutinam possessionem ædificare cœpit: ei denunciante domino soli intra tempora diutinæ possessionis perseveravit. Quæro, utrum interpellata sit, an cœpta duraverit? Respondit, secundum ea, quæ proponerentur, non esse interpellatum.

*De re communi.*

14. IDEM (lib. 25. Digestorum.)

Intestata sororis hereditas obvenit duobus fratribus, quorum alter absens erat, alter præsens: præsens etiam absentis causam agebat: ex qua hereditate suo, & fratris sui nomine fundum in solidum vendidit Lucio Titio bona fide ementi; Quæsitum est, cum scierit partem fundi absentis esse, an totum fundum longa possessione cepit? Respondit, si credidisset 50 mandatu fratris venisse, per longum tempus cepisse.

TIT. V.

PRO HEREDE 1, VEL PRO POSSESSORE.

*De bonis vivi.*

1. POMPONIUS (lib. 32. ad Sabinum.)

Pro herede ex vivi 2 bonis nihil usucapi potest, etiam si possessor mortui rem fuisse existimaverit.

*De pratorio pignore. 1. De causa possessionis sibi non mutanda.*

2. JULIANUS (lib. 44. Digestorum.)

Qui legatorum servandorum causa in possessione mittitur, non interpellat possessionem ejus, qui pro herede usucapit; custodia enim causa rem tenet; quid ergo est? etiam impleta usucapione jus 4 pignoris retinebit, ut non prius discedat, quam si solum ei legatum fuerit, aut eo nomine satisfactum. §. 1. Quod vulgo respondetur 5, causam possessionis neminem sibi mutare posse, sic accipiendum est: ut possessio non solum civilis, sed etiam naturalis intelligatur. Et propterea responsum est, neque colonum 6, neque eum, apud quem res deposita 7, aut cui commodata 8 est, lucri faciendi causa pro herede usucapere posse. §. 2. Filium quoque donatam rem a patre, pro herede negavit usucapere Servius: scilicet qui existimabat, naturalem possessionem 9 penes eum fuisse vivo patre. Cui consequens est, ut filius a patre heres institutus, res hereditarias a patre sibi donatas, pro parte coheredum usucapere non possit.

*De re, quam putat esse heres hereditariam.*

3. POMPONIUS (lib. 23. ad Quintum Mucium.)

Plerique putaverunt, si heres sim, & putem rem aliquam ex hereditate esse, quæ non sit, posse me usucapere.

*De testamenti factione.*

4. PAULUS (lib. 5. ad Legem Juliam, & Papiam.)

Constat eum, qui 10 testamenti factionem habet, pro herede usucapere posse.

(46. l. 27. supr. tit. prox. (47. b. ult. §. 1. inf. pro suo. (48. l. 2. in pr. inf. tit. prox. (49. l. 1. §. 2. supr. de pignorib. (50. l. 109. infr. de verb. sign.

TIT. V. (1. Lib. 7. C. 29. v. l. 11. in pr. supr. de hered. petit. §. 3. verf. pro herede. Inst. de interdict. (2. l. 3. C. h. t. l. 1. supr. de hered. vel actione vend. §. ult. Inst. de hered. qual. l. 19. supr. de acquir. vel omitt. hered. (3. l. 12. supr. tit. prox. (4. l. 1. §. 2. supr. de pignorib. (5. l. 3. §. 19. de acquir. vel omitt. poss. l. 33. §. 1. supr. de usurp. & usucap. (6. l. 31. §. 3. in fin. supr. d. t. (7. l. 17. §. 1. supr. de deposit. (8. l. 8. l. 9. supr. commodati. (9. Adde l. 11. supr. de liber. & posthum. (10. v. l. 7. infr. pro legato.



## TIT. VI.

## PRO DONATO I.

*De errore falsa causa.* 1. *De patre, & filio.* 2. *De viro, & uxore.*

1. PAULUS (lib. 54. ad Edictum.)

**P**ro donato is usucapit, cui donationis causa res tradita est; nec 2 sufficit opinari: sed & donatum esse oportet. §. 1. Si pater filio, quem in potestate habet, donet, deinde decedat: filius pro donato non capiet usu: quoniam nulla donatio fuit. §. 2. si inter virum, & uxorem donatio facta sit, cessat usucapio. † Item si vir uxori rem donaverit, & divortium intercesserit: cessare usucapionem, Cassius respondit: quoniam non possit causam possessionis sibi ipsa mutare; alias ait, post divortium ita usucapturam, si eam maritus concesserit, quasi nunc donasse intelligatur. Possidere 3 autem uxorem rem a viro donatam, Julianus putat.

*De litis contestatione.*

2. MARCELLUS (lib. 22. Digestorum.)

**S**i is, qui alienam rem donaverit, revocare constituerit donationem, etiam si iudicium ediderit, remque coeperit vindicare, curret usucapio 4.

*De viro, & uxore.*

3. POMPONIUS (lib. 24. ad Quintum Mucium.)

**S**i vir uxori, vel uxor viro donaverit: si aliena 5 res donata fuerit; verum est, quod Trebatius putabat, si pauperior is, qui donasset, non fieret, usucapionem possidenti procedere.

*De patre, & filio.*

4. IDEM (lib. 32. ad Sabinum.)

**S**i pater filiam donaverit, quæ in potestate ejus erat, & eam exheredaverit: si id heres ejus ratum 6 habeat, exinde ea usucapet donationem, qua ex die ratam heres donationem habuerit.

*De manumissione.*

5. SÆVOLA (lib. 5. Responsorum.)

**Q**ui pro donato coeperat usucapere, manumittendo 7 nihil egit; quia nec dominium nactus fuerit; quaeritur est, an usucapere desierit? Respondi, eum, de quo quaeritur, omisisse videri possessionem, & ideo usucapionem interruptam.

*De venditione facta donationis causa.*

6. HERMOGENIANUS (lib. 2. Juris Epitomarum.)

**D**onationis 8 causa facta venditione, non pro emptore, sed pro donato res tradita usucapitur.

## TIT. VII.

## PRO DERELICTO.

*De re a domino habita pro derelicto.*

1. ULPIANUS (lib. 12. ad Edictum.)

**S**i res pro derelicto habita sit, statim nostra esse desinit 1, & occupantis (statim) fit: quia iisdem modis res desinunt esse nostra, quibus adquiruntur.

2. PAULUS (lib. 54. ad Edictum.)

**P**ro derelicto rem a domino habitam si sciamus, possumus acquirere. §. 1. Sed Proculus, non desinere eam rem domini esse, nisi ab alio possessa fuerit; Julianus, desinere quidem omittentis esse, non fieri autem alterius, nisi possessa fuerit: & recte.

*De parte.*

3. MODESTINUS (lib. 6. Differentiarum.)

**A**n pars pro derelicto haberi possit, quaeri solet. † Et quidem si in re communi socius partem suam reliquerit, ejus esse desinit: ut 2 hoc sit in parte, quod in toto. Atqui totius rei dominus efficere non potest, ut partem retineat, partem pro derelicto habeat.

*De bona fide.*

4. PAULUS (lib. 15. ad Sabinum.)

**I**d, quod pro derelicto habitum est, & haberi putamus 3, usucapere possumus, etiam si ignoramus, a quo derelictum sit,

TIT. VI. (1. Lib. 7. C. 27. (2. l. 27. supr. de usurp. & usucap. l. 2. in pr. supr. pro emptore. l. 6. infr. pro derelicto. l. 2. l. 3. infr. pro legato. l. 3. l. ult. C. pro herede. §. 11. Inst. de usucap. (3. l. 1. §. 4. l. 16. supr. de acquir. vel amitt. possess. vide tamen l. 26. supr. de donat. inter vir. & uxor. (4. l. 18. supr. de rei vind. l. 2. §. fin. supr. pro emptore. (5. l. 25. supr. de donat. inter vir. & uxor. (6. l. 4. §. 1. infr. pro suo. (7. l. 4. C. de his, qui a non domino. (8. l. 36. l. 38. supr. l. 3. l. 8. l. 9. C. de contrah. emt.

TIT. VII. (1. l. 5. §. 1. infr. h. t. l. 38. §. 1. sup. de noxalib. l. 36. infr. de stipul. servor. l. 43. §. 5. infr. de furt. §. 47. Inst. de rer. divis. (2. l. 76. in pr. supr. de rei vind. l. 51. in fin. supr. de admin. & peric. tut. l. 82. in fin. supr. de acquir. vel amitt. hered. (2. l. 6. infr. h. t.

*De emtione.* 1. *De re a domino habita pro derelicto.*

*De missilibus.*

5. POMPONIUS (lib. 32. ad Sabinum.)

**S**i id, quod pro derelicto habitum possidebas, ego sciens in ea causa esse, abs te emerim, me usucapturum, constat: nec obstat, quod in bonis tuis non fuerit. Nam & si tibi rem ab uxore donatam sciens emerero, quia quasi volente & concedente domino id faceres, idem juris est. §. 1. Id, quod quis pro derelicto habuerit, continuo meum fit; sicuti cum quis æs 4 sparserit, aut aves amiserit: quamvis incertæ personæ voluerit eas esse, tamen ejus fierent, cui casus tulerit: eaque cum quis pro derelicto habeat, simul intelligitur voluisse alicujus fieri.

*Si quis falso existimaverit, rem pro derelicto habitam esse.*

6. JULIANUS (lib. 3. ad Ursejum Ferocem.)

**N**emo potest pro derelicto usucapere, qui 5 falso existimaverit rem pro derelicto habitam esse.

*De jactu mercium.*

7. IDEM (lib. 2. ex Minicio.)

**S**i quis merces ex nave 6 jactatas invenisset, num ideo usucapere non possit, quia non viderentur derelictæ, quaeritur? Sed verius est, cum pro derelicto usucapere non posse.

*De alimentis ancilla negatis.*

8. PAULUS (lib. 18. Responsorum.)

**S**empronius Thetidi status quaestionem facere tentabat, quasi de serva sua nata sit: qui jam testato conventus a Procula nutrice Thetidis in solvendis alimentis, respondit, non se habere, unde alimenta ejusdem exsolvat, sed debere eam patri suo restituere Lucio Titio: idque ea illa in testationem redegit, ut postea nullam quaestionem pateretur ab eodem Sempronio: Lucius Titius Sex Prætoris solutis alimentis, puellam vindicta manumisit. Quaero, an possit rescindi libertas Thetidis? Paulus respondit, quoniam dominus ancillæ, ex qua Thetis nata est, Thetidem pro derelicto habuisse videtur, potuisse eam a Lucio Titio ad libertatem perducere.

## TIT. VIII.

## PRO LEGATO.

*De titulo vero, vel opinato.*

1. ULPIANUS (lib. 6. Disputationum.)

**L**egatorum nomine is videtur possidere, cui legatum est: pro legato enim possessio, & usucapio nulli alii, quam 1 cui legatum est, competit.

2. PAULUS (lib. 54. ad Edictum.)

**S**i possideam aliquam rem, quam 2 putabam mihi legatam, cum non esset: pro legato non usucapiam.

3. PAPINIANUS (lib. 23. Quaestionum.)

**N**on magis, quam si quis emptum existimet, quod non 3 emerit.

*De re aliena legata. De legato adempto in codicillis. De nomine legatarii homonymo.*

4. PAULUS (lib. 54. ad Edictum.)

**P**ro legato potest usucapi, si res aliena legata sit: aut testatoris quidem sit, sed adempta codicillis ignoratur: in horum enim persona subest justa causa, quæ sufficit ad usucapionem. † Idem potest dici, & si in nomine erit dubitatio: veluti si Titio legatum sit, cum sint duo Titii, ut alter eorum de se cogitatum existimaverit.

*Si dominus rei legata vivat.*

5. JAVOLENUS (lib. 7. ex Cassio.)

**E**a res, quæ legati nomine tradita est, quamvis dominus ei 4 vivat, legatorum tamen nomine usucapietur;

6. POMPONIUS (lib. 32. ad Sabinum.)

**S**i is, cui tradita est, mortui esse existimaverit.

*De testamenti factioe.*

7. JAVOLENUS (lib. 7. ex Cassio.)

**N**emo potest legatorum nomine usucapere, nisi 4 is, cum quo testamenti factio est: quia ea possessio ex jure testamenti proficiscitur.

(4. l. 9. §. 7. supr. de acquir. rer. domin. §. 46. inst. de rer. divis. (5. l. 4. supr. h. t. l. 1. in pr. supr. pro donato. (6. l. 8. supr. de lege Rhodia.

TIT. VIII. (1. l. 27. supr. de usurp. & usucap. (2. l. 1. in pr. supr. pro donato. (3. l. 2. in pr. l. 11. supr. pro emptore. (4. l. ult. infr. h. t. l. ult. supr. pro herede.



*De ingresso in possessionem non traditam.*

8. PAPINIANUS (lib. 23. Quæstionum.)

**S**i non traditam possessionem ingrediatur sine vitio legatarius, legata rei usucapio competit.

*De legato recte, vel non jure relicto, vel adempto.*

9. HERMOGENIANUS (lib. 5. juris Epitomarum.)

**P**ro legato usucapit, cui recte & legatum relictum est; sed & si non jure legatum relinquatur, vel legatum ademptum est, pro legato usucapi post magnas varietates obtinuit.

TIT. IX.

PRO DOTE. I.

*De tempore. 1. De rebus singulis, vel universis in dotem datis.*

2. *De nuptiis.*

1. ULPIANUS (lib. 31. ad Sabinum.)

**T**itulus est usucapionis, & quidem iustissimus 2, qui appellatur pro dote: ut qui in dotem rem accipiat, usucapere possit spatio solemnium, quo solent, qui pro emptore usucapiunt. §. 1. Et nihil refert, singula res, an pariter universa (in) dotem darentur. §. 2. Et primum de tempore videamus, quando pro dote quis usucapere possit: utrum post tempora nuptiarum, an vero & ante nuptias? † Et quæstio vulgata, an sponsus possit (hoc est, qui nondum maritus est) rem pro dote usucapere? Et Julianus inquit, si sponsa sponso ea mente tradiderit res, ut non ante ejus fieri vellet, quam nuptiæ secuta sint, usus quoque capio cessabit: si tamen non 3 evidenter id actum fuerit, credendum esse id agi. Julianus ait, ut statim res ejus fianæ & si alienæ 4 sint, usucapi possint, quæ sententia mihi probabilis videtur. Ante nuptias autem non pro dote usucapit, sed pro suo §. 3. Constante autem matrimonio, pro dote usucapio inter eos locum habet, inter quos est matrimonium. Ceterum si cesset matrimonium, Cassius ait, cessare usucapionem: quia (ei) dos nulla 5 sit. §. 4. Idem scribit, & si putavit maritus esse sibi matrimonium, cum non esset, usucapere cum non posse, quia nulla dos sit: quæ sententia habet rationem.

2. PAULUS (lib. 54. ad Edictum.)

**S**i affirmata 6 res ante nuptias tradita sit: nec pro emptore, nec pro suo ante nuptias usucapietur.

*De re communi.*

3. SCAEVOLA (lib. 25. Digestorum.)

**D**ux filiarum intestato patri heredes existerunt, & mancipia communia singula in dotem dederunt, & post aliquot annos (a) morte patris familiarum eriscundæ judicium inter eas dictatum est. Quæsitum est, cum mariti bona fide mancipia in dotem accepta ut dotalia, multis annis possederunt: an usucapisse videantur, si qui accipiebant, dantis credidissent esse? Respondit, nihil proponi, cur non usucapissent.

TIT. X.

PRO SUO.

*De causis possidendi, ex quibus dominium acquiritur.*

19. ULPIANUS (lib. 15. ad Edictum.)

**P**ro suo possessio talis est, cum dominium nobis adquiri putamus, & ex ea causa possidemus, ex qua acquiritur, & præterea pro suo: ut puta ex causa emtionis, & pro emptore, & pro suo pos-

(5. l. 7. supr. h. t.)

TIT. IX. (1. Lib. 8. C. 28. (2. l. 3. §. 1. supr. de Publiciana. (3. l. 8. supr. de jure dot. (4. l. un. C. h. t. (5. l. 3. supr. de jure dot. §. 12. Inst. de nupt. (6. l. 10. §. 4. supr. d. t.)

sideo: item donata, vel legata, vel pro donato, vel (pro) legato, etiam pro suo possideo. §. 1. Sed si res mihi ex causa justa, puta emtionis, tradita sit, & usucapiam: incipio quidem & ante usucapionem pro meo possidere. † Sed an desinam ex causa emtionis post usucapionem, dubitatur & Mauricianus dicitur existimasse non desinere.

*De occupatione, de alluvione, de partu, & fructibus.*

2. PAULUS (lib. 54. ad Edictum.)

**E**st species possessionis, quæ vocatur pro suo: hoc enim modo possidemus omnia, quæ mari, terra, cœlo capimus, aut quæ alluvione fluminum nostra fiunt. † Item quæ ex rebus alieno nomine possessis nata 1 possidemus; veluti partum hereditaria, aut emtæ ancillæ, pro nostro possidemus. Similiter fructus rei emtæ, aut donatæ, aut quæ in hereditate inventa est.

*De falsa causa.*

3. POMPONIUS (lib. 22. ad Sabinum.)

**H**ominem, quem ex stipulatione te mihi debere falso 2 existimabas, tradidisti mihi: si 3 scissem mihi nihil debere, usu eum non capiam: quia si nescio, verius est, ut usucapiam: quia ipsa traditio ex causa, quam veram esse existimo, sufficit ad efficiendum, ut id, quod mihi traditum est, pro meo possideam; & ita Neratius scripsit: idque verum puto.

*De partu ancillæ furtivæ. De clandestina possessione. 1. Si pater cum filiis bona partius sit. 2. De falsa causa.*

4. IDEM (lib. 32. ad Sabinum.)

**S**i ancillam furtivam 4 emisti fide bona, (& quod) ex ea natum, & apud te conceptum est, ita possidisti, ut intra constitutum usucapioni tempus cognosceres 5 matrem ejus furtivam esse: Trebatius omni modo, quod ita possessum esset, usucapum esse. Ego sic puto distinguendum, ut, si nescieris intra statutum tempus, cujus id mancipium esset: aut si scieris, neque potueris certiorum dominum facere, aut si potueris quoque, & feceris certiorum: usucaperes: si vero, cum scires, & posses, non feceris certiorum, contra esse: tum enim clam possidisse videberis, neque idem & pro suo, & clam possidere potest. §. 1. Si pater cum filiis bona, quæ habebat, partius sit, & ex ea causa post mortem patris ea teneant, quod inter eos conveniret, ut ea divisio rata 6 esset: usucapio his procedat pro suo in his 7 rebus, quæ alienæ in bonis patris inveniuntur. §. 2. Quod legatum non sit, ab herede tamen perperam 8 traditum sit: placet, a legatario usucapi, quia pro suo possidet.

*Ratio usucapionis. 1. De errore falsæ causæ.*

5. NERATIUS (lib. 5. Membranarum.)

**U**sucapio rerum etiam ex aliis causis concessa, interim propter ea, quæ nostra existimantes possideremus, constituta est, ut 9 aliquis litium finis esset. §. 1. Sed id id, quod quis, cum suum esse existimaret, possederit, usucapiet, etiam si falsa fuerit ejus existimatio: quod tamen ita interpretandum est, ut probabilis error possidentis usucapionem non obstet: veluti si ob id aliquid possideam, quod servum meum, aut ejus, cujus in locum hereditario jure successi, emisse id falso existimem: quia in alieni 11 facti ignorantia tolerabilis error est.

TIT. I. (1. l. 4. §. 5. supr. de usurp. (2. l. 4. in fin. infr. h. t. (3. l. 48. supr. de usurp. l. 7. §. 2. supr. pro emptore. (4. Adde l. 11. §. 3. supr. de Publiciana. (5. l. 4. §. 18. supr. de usurp. (6. l. 4. supr. de donat. (7. v. l. 3. supr. pro herede. (8. l. 3. supr. h. t. (9. l. 2. in pr. supr. de aqua & aqua pluvi. (10. l. 11. supr. pro emptore. (11. l. 3. in pr. supr. de jur. & facti ignor.

## LIBER QUADRAGESIMUS SECUNDUS.

TIT. I.

DE RE JUDICATA 1, ET DE EFFECTU SENTENTIARUM, ET DE INTERLOCUTIONIBUS. 2

*Definitio rei iudicata.*

1. MODESTINUS (lib. 7. Pandectarum.)

**R**es iudicata dicitur, quæ finem controversiarum pronuntiatione iudicis accipit, quod vel condemnatione vel absolutione contingit.

*De tempore sententiæ exsequendæ.*

2. ULPIANUS (lib. 6. ad Edictum.)

**Q**ui pro Tribunali cognoscit, non semper tempus iudicati 3 servat, sed nonnumquam arctat, nonnumquam prorogat, pro causæ qualitate 4, & quantitate, vel personarum obsequio; vel contumacia: sed perraro intra statutum tempus sententiæ exsequuntur: veluti si alimenta constituantur, vel minori viginti quinque annis subvenitur.

(3. l. 2. l. 3. C. de usur. rei iudic. (4. l. 72. in fin. supr. de iudic. l. 13. in fin. l. 14. supr. de damno infect. l. 4. §. 1. in fin. infr. de incend.

TIT. (1. Lib. 7. C. 52. (2. Lib. 7. C. 45.

TOM. I.

A a a 3

De



*De potestate condemnandi, & absolvendi.*

3. PAULUS (lib. 17. ad Edictum.)

Qui damnare potest, is & absolvendi quoque potestatem habet. *De domino, & procuratore. 1. De tutore, vel curatore. 2. De municipilibus, & eorum actore. 3. De solutione, & satisfactione. 5. De condemnato, ut intra certos dies solvat. 6. Condemnatus quomodo accipitur. 7. Solvisse quomodo accipitur. 8. De iudicio noxali.*

4. ULPIANUS (lib. 58. ad Edictum.)

Si se non obtulit procurator, iudicati actio in eum denegabitur, & in dominum dabitur: si se obtulit, in ipsum dabitur. † *Obrulisse autem se liti videtur non is, qui in rem suam procurator datus sit: nam hic alia ratione recusare iudicati actionem non potest, quia (hic) non in alienam, sed in suam rem procurator factus est. §. 1. Tutor quoque vel curator in ea conditione sunt, ut non videantur videri se liti obrulisse; idcircoque debet denegari in eos iudicati actio. 7. §. 2. Actor municipium potest rem iudicatum recusare: in municipes enim iudicati actio dabitur. §. 3. Ait Prator, condemnatus ut pecuniam solvat; \* a iudicato ergo hoc exigitur, ut pecuniam solvat. \* Quid ergo, si solvere quidem paratus non sit, satisfacere autem paratus sit, quid dicimus? Et ait Labeo, debuisse hoc quoque adjici, neque eo nomine satisfaciatur: fieri enim posse, ut idoneum expromissorem habeat: sed ratio pecuniae exigendae haec fuit, quod noluerit Prator obligationes ex obligationibus fieri: idcirco ait, ut pecunia solvatur. Ex magna tamen, & idonea causa accedendum erit ad Labeonis sententiam. §. 4. Si ex conventionem litigantium cautum sit post rem iudicatum ei, cui quis condemnatus est: eveniet, ut hic & retendatur, si modo novatio & intercessit: ceterum si non novandi causa id factum est, manebit ordo executionis. † Sed & si pignora accepta sint, vel fidei iussores in rem iudicatum: consequens erit dicere, non cessare executionem; quippe cum accesserit aliquid rei iudicatae, non sit a re iudicata recessum. † Idem observandum est in eo, cuius procurator condemnatus est. §. 5. Si quis condemnatus sit, ut intra certos dies solvat: unde ei tempus iudicati actionis computamus? utrum ex quo sententia prolata est, an vero, (ex eo), ex quo dies statutus praeterit? Sed si quidem minorem 9 diem statuerit iudex tempore legitimo, repleatur ex Lege, quod sententiae iudicis deest. Sin autem amplio rem numerum dierum sua definitione iudex amplexus est: computabitur reo, & legitimum tempus, & quod supra (id) iudex praestitit. §. 6. Condemnatum accipere debemus eum, qui rite 10 condemnatus est, ut sententia valeat: ceterum si aliqua ratione sententia nullius momenti sit: dicendum est, condemnationis verbum non tenere. §. 7. Solvisse accipere debemus non tantum eum, qui solvit: verum omnem omnino, qui ea obligatione liberatus est, quae ex causa iudicati descendit. §. 8. Celsus scribit, si noxali condemnatus eum servum, in quo ususfructus alienus 11 est, noxae dedisti, posse tecum adhuc agi iudicati: sed si ususfructus interierit, liberari ait.*

*De notione, & jurisdictione. 1. De quantitate non expressa in condemnatione.*

5. IDEM (lib. 59. ad Edictum.)

Ait Prator, cuius de ea re iudicatio est: melius scripsisset cuius de ea re notio est: etenim notio 12 nomen etiam ad eos pertinet, qui jurisdictionem non habent, sed habent de quavis alia causa notionem. §. 1. Si iudex aliquem sic condemnet, ut quod habet ex testamento, vel codicillis Mavii, restitueret Titio: sic accipiendum est, quasi 13 quantitatem 14 nominavit, quae testamento vel codicillis 15 relicta est. Sed & si fideicommissum sine scriptura 16 pronunciatum (est), idem erit probandum.

*De milite. 1. De iudicio noxali. 2. De eo, qui iudicati bona auctoritate sua distraxit. 3. De tempore iudicati actionis. Quid persequatur. De heredibus.*

6. IDEM (lib. 66. ad Edictum.)

Miles, qui 17 sub armata militia stipendia meruit, condemnatus, earens, qua facere potest, cogitur solvere. §. 1. *Decem, aut noxae dedere condemnatus, iudicati in decem tenetur: fa-*

(5. l. 7. infr. de confessis. l. 37. infr. de reg. jur. (6. l. 61. supr. de procur. (7. l. 2. in pr. supr. de admin. & peric. tut. l. 7. supr. quando ex facto tutor excip. l. 6. C. de admin. tut. (8. l. 2. C. de executione rei iudic. l. 13. §. 1. supr. de instit. act. (9. Obst. l. 2. supr. h. t. (10. l. 4. C. de sent. & interlocut. adde l. 7. C. n. de statu defunct. l. 1. in fin. supr. ad SC. Tertull. (11. l. 9. §. 4. supr. de dolo l. 69. infr. de solutione (12. l. 99. in pr. infr. de verb. sign. (13. l. 59. §. 1. infr. h. t. l. 3. C. de sentent. quae sine certa quant. (14. Obst. l. 75. §. 6. infr. de verb. oblig. (15. Fac. l. 77. supr. de hered. instit. (16. l. 22. C. de fideicommiss. (17. l. 18. infr. h. t.

cultatem enim noxae dedenda ex Lege accipit. At is, qui stipulatus est decem, aut noxae dedere, non potest decem petere: quia in stipulatione singula per se veniunt: eaque singula separatim stipulari possumus: at iudicium solius noxae deditio nullum est, sed pecuniariam condemnationem sequitur, & ideo iudicati decem agitur, his enim solis condemnatur: noxae deditio in solutione est, quae a Lege tribuitur. §. 2. Qui iudicati bona auctoritate sua 18 distraxit, furti actione, & vi bonorum raptorum (ei) tenetur 19. §. 3. Iudicati actio perpetua est, & rei persecutionem continet. Item heredi, & in heredem competit.

*De tempore, quod datur iudicatis.*

7. GAJUS (lib. ad Edictum Pratoris urbani, titulo de re iudicata.)

Intra dies constitutos 20, quamvis iudicati agi non possit, multis tamen modis iudicatum liberari 21 posse, hodie non dubitatur: quia constitutorum dierum spatium pro iudicato, non contra iudicatum per Legem constitutum est.

*De interitu rei ex stipulatu petita.*

8. PAULUS (lib. 5. ad Plautium.)

Si homo ex stipulatu petitus, post 22 litem contestatam decesserit: absolutionem non faciendam, & fructuum rationem habendam placet.

*De furioso.*

9. POMPONIUS (lib. 5. ex Plautio.)

Furioso sententia a iudice, vel ab arbitro dici non potest.

*De eo qui se patremfamilias finxit.*

10. MARCELLUS (lib. 2. Digestorum.)

Qui cum se pro patrefamilias fingeret 23, mutuum pecuniam accepit, & exheres a patre, vel emancipatus sit: quamvis facere non possit, debet condemnari.

*De aestimatione.*

11. CELSUS (lib. 5. Digestorum.)

Si, calendis fieri aliquid stipulatus sum, nempe quaecumque post calendas accepto iudicio, tanti (tamen) aestimanda lis est, quanti 24 interfuit mea, calendis id fieri: ex eo enim tempore quicquid aestimatur, quod novissime solvi poterit.

*De deposito, & commodato.*

12. MARCELLUS (lib. 4. Digestorum.)

In deposito, vel commodato iudicio, quamquam dolo adversarii res absit, condemnato succurri solet, ut ei actionibus suis minus cedat. 25

*De obligationibus faciendi.*

13. CELSUS (lib. 6. Digestorum.)

Si quis ab alio decem, ab alio satisfacere 26 stipulatus est: aestimandum erit, quantum stipulatoris interfit satisfacere: idque aut tantumdem erit, aut minus aut interdum etiam nihil 27: neque enim vani 28 timoris ulla aestimatio est, verum sorte soluta, nullum jam pretium aestimationis est: aut quantum ex sorte fuerit solutum, tantumdem ex aestimatione deceder. §. 1. Si quis promiserit, prohibere se, ut aliquid damnum stipulator patiat, & faciat, neque ex ea re damnum stipulator (patietur, &) faciat: (ita habeatur) facit, quod promisit: si minus, quia non facit, quod promisit, in pecuniam numeratam condemnatur: sicut evenit 29 in omnibus faciendi obligationibus.

*De mutatione sententiae.*

14. IDEM (lib. 25. Digestorum.)

Quod iussit, vetuitve Prator, contrario imperio tollere, & repetere licet; de sententiis 30 contra.

(18. l. 11. in fin. C. de pignorat. act. l. 9. C. soluto matrim. (19. Adde l. 13. supr. quod meus causa l. pen. infr. ad leg. Jul. de vi privat. l. 7. C. unde vi. (20. l. 2. l. 3. C. de usur. rei iudic. (21. l. 137. §. 2. infr. de verb. oblig. (22. l. 68. supr. de rei vind. l. 7. C. de execut. rei iudic. (23. l. 4. §. 1. l. 6. supr. quod cum eo, qui in alien. potest. l. 1. C. ad SC. Maced. (24. l. 72. §. 1. infr. de verb. oblig. (25. Obst. l. 69. supr. de rei vind. l. 112. §. 1. infr. de verb. oblig. (27. Adde l. ult. infr. de stipul. prator. (28. l. 6. supr. quod met. caus. l. 2. in fin. supr. quib. ex caus. major. l. 4. in pr. supr. si cui plus, quam per leg. Falc. l. 184. infr. de reg. jur. l. 13. C. de transact. (29. l. 113. §. 1. l. 114. infr. de verb. oblig. (30. l. 42. l. 55. infr. h. t. l. 27. in pr. infr. l. 15. C. de pan.

Quis



Quis sententiam exsequatur. 2. De pignoribus capiendis, & distrahendis, 3. Vel victori addicendis. 4. Si rerum, quæ pignoris jure capta sunt, controversia fiat. 5. Si res sit pignorata, quæ pignore capta est. 6. Si controversia emtori moveatur. 7. Si emtor pretium non solvat. 8. De nominibus. 11. De pecunia, quæ penes argentarium, vel alium est. 12. De pecunia deposita, vel reposita.

15. ULPIANUS (lib. 3. de Officio Consul.)

**A** Divo Pio rescriptum est, Magistratus populi Romani, ut iudicum a se datorum, vel arbitrorum sententiam exsequantur hi, qui eos dederunt. §. 1. Sententiam Romæ dictam, etiam in Provinciis 31 posse Præfides, si hoc iussi fuerint, ad finem persequi, Imperator noster cum patre rescripsit. §. 2. In venditione itaque pignorum captorum faciendâ, primo quidem res mobiles animales pignori capi jubent, r.ox distrahi: quarum pretium si suffecerit, bene est: si non suffecerit, etiam soli pignora capi jubent, & distrahi, quod si nulla moventia sint, a pignoribus soli initium faciunt. Sic denique interloqui solent, si moventia non sint, ut soli quoque capiantur: nam a pignoribus soli initium faciendum non est, quod si nec, quæ soli sunt, sufficiant, vel nulla sint soli pignora: tunc pervenietur etiam ad jura 32: exsequuntur itaque rem iudicatam Præfides isto modo. §. 3. Si pignora, quæ capta sunt, emtorem non inveniunt: rescriptum est ab Imperatore nostro, & Divo patre ejus, ut addicantur 33 ipsi, cui quis condemnatus est. Addicantur autem utique ea quantitate, quæ debetur: nam si creditor maluerit pignora in creditum possidere, iisque esse contentus; rescriptum est, non posse eum, quod amplius sibi debetur, petere; quia velut pacto transigisse de credito videtur, qui contentus fuit pignora possidere: nec posse eum in quantitate certam pignora tenere, & superfluum petere. §. 4. Si rerum, quæ pignoris jure captae sunt, controversia fiat: constitutum est ab Imperatore nostro, ipsos, qui rem iudicatam exsequuntur, cognoscere debere de proprietate; & si cognoverint ejus fuisse, qui condemnatus est, rem iudicatam exsequantur. Sed sciendum est, summam eos cognoscere debere, nec sententiam eorum posse debitori præjudicare, si forte hi dimittendam eam rem putaverint, quasi ejus sit, qui controversiam movit, non ejus, cujus nomine capta est, nec eum, cui restituta est, statim habere per sententiam debere; si forte jure ordinario coeperit ab eo res peti: sic evenit, ut omnibus integris tantum capioni res iudicata proficiat. Sed illud debet dici, ubi controversia est de pignore, id dimitti debere, & capi aliud, si quod est sine controversia. §. 5. Quod si res sit pignorata quæ pignori capta est, videndum est, an sic distrahi possit, ut dimisso creditore, superfluum in causam iudicati convertatur? & quamquam non 34 cogatur creditor rem, quam pignori accepit, distrahere; tamen in iudicati executionem servatur, ut si emtorem invenerit res, quæ capta est, qui dimisso priore creditore superfluum solvere sit paratus, admittenda sit hujus quoque rei distractio: nec videtur deterior conditio creditoris fieri suum consecuturi, nec prius jus pignoris dimissuri, quam si ei fuerit satisfactum. §. 6. Si post addictum pignus aliqua controversia emtori moveatur: an sit cognitio ejusdem iudicis, qui sententiam executus fuerit, videndum est: & cum semel emtio perfecta sit, ejusque, qui comparaverit, periculum vertatur, non puto locum esse cognitioni: certe, postquam inductus est emtor in possessionem, nonne cessabunt partes eorundem iudicum? Idemque & si ipsi, cui quis iudicatus est, res fuerit addicta. §. 7. Sed si emtor, cui pignora sunt addicta, exsequente iudice, pretium non solvat: utrum adversus emtorem porrigere manus debeant iidem iudices, qui sententiam exsequuntur, videndum est; Et non puto eos ultra procedere. Ceterum, longe res abibit: quid enim dicimus? condemnabunt emtorem, & sic exsequantur adversus eum sententiam? an statim pro iudicato habebunt? & quid, si neget se emisse, aut exsolvisse contendat? Melius igitur erit, si non se interponat: maxime cum nec habeat actionem adversus eum is, cui iudicatum fieri desideratur, nec injuria afficietur. Oportet enim res captas pignori, & distractas, præsentem pecuniam distrahi, non sic, ut post tempus pecunia solvatur. † Certe si se interponant, hætenus debent intervenire, ut ipsam rem addictam capiant, & distrahant, quasi non vinculo pignoris liberatam. §. 8. Sic quoque iudices exsequantur iudicatum, ut nomina 35 jure pignoris capiant, si nihil aliud sit, quod capi possit: posse enim nomen jure pignoris capi, Imperator noster rescripsit.

(31. Adde l. 45. in fin. supr. de iudic. (32. §. 8. infr. hic l. 8. supr. quod cujuscumque univers. (33. l. ult. in fin. C. si in caus. rei jud. pign. l. 3. §. 2. C. de jure domin. imper. (34. l. 6. in pr. supr. de pignorat. act. (35. §. 2. supr. hic l. 5. C. de execut. rei judic.

§. 9. Sed utrum confessum nomen tantum capi possit, an etiam si neget quis se debere, videamus. Et magis est, ut id dumtaxat capiat, quod confitetur: ceterum si negetur, æquissimum erit, discedi a nomine: nisi forte quis exemplum secutus corporalium pignorum, ultra processerit; dixeritque, ipsos debere iudices de nomine cognoscere, ut cognoscunt de proprietate: sed contra rescriptum est. §. 10. Item quid dicemus? utrum ipsi iudices convenient nomen, exigentque id, quod debetur, & in causam iudicati convertentur; vero vendent nomen, ut pignora corporalia solent? Et necesse est, ut, quod eis facilius videatur ad rem exsequendam, hoc faciant. §. 11. Sed & si pecunia penes argentarios sit, æque capi solet. † Hoc amplius & si penes alium, quem destinata tamen ei, qui condemnatus est: solet pignoris jure capi, & converti in causam iudicati. §. 12. Prætereâ pecuniam quoque depositam nomine condemnati, vel in arcam reclusam solent capere, ut iudicato satisfiat. † Hoc amplius, & si pupillaris pecunia in arcam reposita sit ad prædiorum comparisonem: & citra permissum Prætoris ab eo, qui exsequitur iudicatum, solet capi, & in causam iudicati converti.

De his, qui non in solidum conveniuntur.

16. IDEM (lib. 63. ad Edictum.)

**S**unt qui 36 in id, quod facere possunt, conveniuntur, id est, non deducto ære alieno. 37 Et quidem sunt hi fere. † Qui pro socio 38 conveniuntur: socium autem omnium 39 bonorum accipiendum est. † Item parens 40,

17. IDEM (lib. 10. ad Edictum.)

**P**atronus 41, patrona, liberique eorum, & parentes. † Item maritus 42 de dote in id, quod facere potest, convenitur.

18. IDEM (lib. 66. ad Edictum.)

**I**tem miles 43, qui 44 sub armata militia stipendia meruit, condemnatus, eatenus, quatenus facere potest, cogitur solvere.

19. PAULUS (lib. 6. ad Plautium.)

**I**nter eos, quibus ex eadem causa debetur, occupantis 45 melior conditio est: nec deducitur, quod ejusdem conditionis hominibus debetur: sicuti fit in de peculio actione: nam & hic occupantis melior est causa. † Sed & si cum patre 46, patronove agatur, non est deducendum æs alienum: maxime quod ejusdem conditionis personis debebitur, ut liberis, libertis. §. 1. Is quoque, qui ex causa donationis 47 convenitur, in quantum facere potest, condemnatur: & quidem is solus deducto 48 ære alieno. Et inter eos, quibus ex simili causa pecunia debetur, occupantis 49 potior erit causa. Immo nec totum, quod habet, extorquendum ei puto: sed & ipsi ratio habenda est, ne 50 egeat.

20. MODESTINUS (lib. 2. Differentiarum.)

**N**on tantum dotis 51 nomine maritus, in quantum facere possit, condemnatur: sed ex aliis quoque contractibus ab uxore iudicio conventus, in quantum facere potest, condemnandus est ex Divi Pii Constitutione. † Quod & in persona mulieris æqualitate servari, æquitatis suggerit ratio.

21. PAULUS (lib. 6. ad Plautium.)

**S**icut autem cum marito agitur, ita & cum socero 52, ut non ultra facultates damnetur. † An, si cum socero ex promissione dotis agatur, in id, quod facere potest, damnandus sit: quod & id æquum esse videtur: sed alio jure utimur 53, ut & Neratius scribit.

22. POMPONIUS (lib. 21. ad Quintum Mucium.)

**S**ed hoc ita accipiendum est, si a socero dos ex promissione petatur soluto 54 matrimonio: verum si manente matrimonio dos ab eo petatur, succurrendum utique est, ut ne majoris summa condemnatur, quam quantum facere potest. §. 1. Quod autem de sociis 55 dictum est, ut & hi, in quantum facere possint, condemnentur: causa cognita se facturum Prætor edicit. † Causæ cognitio autem in hoc erit, ut neganti 56 se socium esse, aut ex doli clausula obligato non succurratur.

(36. §. 37. 38. Inst. de action. (37. l. 49. infr. h. t. (38. l. 22. in fin. infr. eod. (39. Obft. l. 63. in pr. supr. pro socio. (40. l. 7. §. 1. supr. de obsequiis. §. 38. Inst. de action. (41. d. l. 7. §. 1. d. §. 38. (42. l. 20. l. 21. infr. h. t. l. un. §. 7. C. de rei uxor. act. (43. l. 6. in pr. supr. h. t. (44. l. 7. infr. de castrensi pecul. (45. l. 22. §. 4. C. de jure delib. (46. l. 49. infr. h. t. (47. l. 12. supr. de donat. (48. l. 49. infr. h. t. l. 54. supr. soluto matrim. (49. l. 68. infr. de reg. jur. (50. l. 30. infr. h. t. (51. l. 17. supr. eod. (52. l. 15. in fin. supr. soluto matrim. (53. Immo vide l. 17. in pr. supr. d. t. (54. l. pen. supr. de jure dot. (55. l. 16. supr. h. t. (56. l. 67. in fin. supr. pro socio.



23. PAULUS (lib. 6. ad Plautium.)

**S**i cum procuratore mariti de dote actum fuerit: si quidem vivo marito condemnatio fiet: in quantum facere potest, fiet damnatio: nam & defensor 57 mariti in id, quod ille facere potest, damnatur: mortuo vero marito, in solidum.

24. POMPONIUS (lib. 4. ex Plautio.)

**E**t si fidejussor acceptus sit rei, vel actionis, non proderit (ei) 58, si persona, pro qua fidejussit, in quantum facere potest, condemnanda est. §. 1. Si maritus solvendo non fuerit, licet ipsi marito profit, quod facere non possit, (id enim personæ mariti præstat), heredi 59 ejus hoc non prodest.

25. PAULUS (lib. 60. ad Edictum.)

**S**ciendum est, heredes 60 earum personarum non in id, quod facere possunt, sed in integrum teneri.

*Si convenerit inter litigatores quid pronuncietur.*

26. ULPIANUS (lib. 77. ad Edictum.)

**S**i convenerit inter litigatores, quid pronuncietur: non ab re erit, judicem hujusmodi sententiam proferre. 61

*De sententia injusta, & appellatione non recte facta.*

27. MODESTINUS (lib. 1. Responsorum.)

**P**ræses provinciæ usuras usurarum condemnavit contra Leges 62, & sacras Constitutiones, ideoque Lucius Titius contra prolatam sententiam injustam Præsidis appellavit. Quæro, cum non secundum Legem (hic) Titius provocasset, an exigi possit pecunia secundum condemnationem? Modestinus respondit, si sententiæ certa quantitas continetur, nihil proponi, cur judicati agi non possit. 63

*De sententiis diversis.*

28. IDEM (lib. 12. Responsorum.)

**D**uo judices dati diversas sententias dederunt. Modestinus respondit, utramque sententiam in pendenti esse 64, donec competens iudex unam earum confirmaverit.

*De tempore, quod datur iudicatio.*

29. IDEM (lib. 7. Pandectarum.)

**T**empus, quod datur iudicati, etiam heredibus ejus, ceterisque, qui in locum ejus succedunt, tribuitur 65, videlicet, quod ex tempore deest: quia causæ magis, quam personæ, beneficium præstituitur.

*De donatore.*

30. POMPONIUS (lib. 7. variarum Lestionum.)

**C**um ex causa donationis promissa pecunia est: si dubium sit, an ea res eo usque donatoris facultates exhaustire possit, ut vix quicquam ei in bonis relictum sit; actio in 66 id, quod facere possit, danda est: ita ut 67 & ipsi donatori aliquid sufficiens relinquatur, quod maxime inter liberos, & parentes 68 observandum est.

*De tempore quod datur tam ad solvendum, quam ad vendenda pignora.*

31. CALLISTRATUS (lib. 2. Cognitionum.)

**D**ebitoribus non tantum petentibus dies ad solvendum dandi sunt 69, sed & prorogandi, si res exigat: si qui tamen per contumaciam 70 magis, quam quia non possint explicare pecuniaria, differant solutionem: pignoribus captis compellendi sunt ad satisfaciendum ex forma, quam Cassio Proconsuli D. Pius in hæc verba rescripsit: *His, qui fatebuntur 71 debere, aut ex re iudicata necesse habebunt reddere, tempus ad solvendum detur, quod sufficere pro facultate cujusque videbitur; eorum, qui intra diem vel ab initio datum, vel ex ea causa postea prorogatum sibi, non reddiderint, pignora capi: eaque, si intra duos menses non solverint, vendantur; si quid ex pretiis super sit, reddatur ei, cujus pignora vendita erant.*

*Si iudex non existimavit causam per constitutiones prolatis juvari.*

32. IDEM (lib. 3. Cognitionum.)

**C**um prolatis Constitutionibus contra eas pronunciat iudex, eo quod non existimat causam, de qua iudicat, per eas juvari:

non videtur contra 72 Constitutiones sententiam dedisse, ideoque ab ejusmodi sententia appellandum est: alioquin rei iudicata stabitur.

*De falsis testimoniis.*

33. IDEM (lib. 5. Cognitionum.)

**D**ivus Hadrianus aditus per libellum a Julio Tarentino, & iudicante eo falsis 73 testimoniis, conspiratione adversariorum, testibus pecunia corruptis, religionem iudicis circumventam esse, in integrum causam restituendam 74 in hæc verba rescripsit: *Exemplum libelli dati mihi a Julio Tarentino mitti tibi iussi. Tu, si tibi probaverit, conspiratione adversariorum, & testibus pecunia corruptis oppressum se: & rem severe vindica, & si qua a iudice tam malo exemplo circumscripto iudicata sunt, in integrum restitue.*

*De eo, qui victum, vel stratum inferri iudicato non patitur.*

34. LICINIUS RUFINUS (lib. 13. Regularum.)

**S**i victum, vel stratum inferri quis iudicato non patitur, utilis in eum pœnalis actio danda est: vel (ut quidam putant) injuriarum cum eo agi poterit.

*De retractione sententiæ.*

35. PAPIRIUS JUSTUS (Constitutionum lib. 2.)

**I**mperatores Antoninus, & Verus rescripserunt: *Quamquam sub obtentu novorum instrumentorum restitui negotia minime 75 oporteat, tamen in negotio publico, ex causa permittere se hujusmodi instrumentis uti.*

*Si uni iudicum non liquet. De plurium sententia.*

36. PAULUS (lib. 17. ad Edictum.)

**P**omponius lib. XXXVII. ad Edictum scribit: *Si uni ex pluribus iudicibus de liberali causa cognoscenti, de re non liqueat, ceteri autem sententiant, si is juraverit, sibi non liquere, eo quiescente, ceteros, qui consentiant, sententiam proferre: quia & si dissentiret, plurium sententia obtineret.*

*Quo casu omnes intelliguntur iudicare.*

37. MARCELLUS (lib. 3. Digestorum.)

**T**unc autem universi iudices intelliguntur iudicare, cum 76 omnes adsunt.

*De sententiis diversis.*

38. PAULUS (lib. 17. ad Edictum.)

**I**nter pares numero iudices si dissimulæ sententiæ proferantur, in (de) liberalibus quidem causis (secundum quod a D. Pio constitutum est) pro 77 libertate statutum obtinet: in aliis autem causis pro 78 reo, quod & in iudiciis publicis obtinere oportet. §. 1. Si diversis summis condemnent iudices: minimam spectandam esse, Julianus scribit.

*De absentia, vel contraria sententia unius iudicis.*

39. CELSUS (lib. 3. Digestorum.)

**D**uo 79 ex tribus iudicibus uno absente iudicare non possunt: quippe omnes iudicare iussi sunt. † Sed si adit, & contra sentiat: statur duorum 80 sententiæ; quid enim minus verum est, omnes iudicasse?

*De premiis, quæ propter sacras coronas præstantur.*

40. PAPINIANUS (lib. 10. Responsorum.)

**C**ommodis præmiorum, quæ propter coronas sacras præstantur, condemnatio placuit interdici, & eam pecuniam jure pignoris in causam iudicati capi. 81

*De his, qui non conveniuntur in solidum.*

41. PAULUS (lib. 14. Quæstionum.)

**N**esennius Apollinaris: Si te donatum 82 mihi delegavero creditori meo, an in solidum conveniendus sis? & si in solidum conveniendus, an diversum putes, si non creditori meo, sed ei, cui donare volebam, te delegavero? & quid de eo, qui pro muliere, cui donare volebat, marito ejus dotem promiserit? Respondit, nulla creditor exceptione summo veretur; licet is, qui ei delegatus est, poterit uti adversus eum, cujus nomine promisit: cui similis est maritus; maxime si constante matrimonio petat, & si cut 83 heres donatoris in solidum condemnatur, & ipse fidejussor 84, quem in donando adhibuit: ita & ei, cui non donavit, in solidum condemnatur. §. 1. Fundum quis donavit, si non restituit: ut quisvis possessor, damnandus est: si autem fundum restituit, fructuum nomine, si non eos consumpsit, in solidum con-

(72. v. l. 19. infr. de appellat. l. 1. §. 2. infr. quæ sent. sine appellat. (73. C. si ex falsis instrumen. vel testim. (74. l. 2. C. d. t. (75. l. 4. C. h. t. (76. l. 39. infr. eod. (77. l. 24. supr. de manumissionib. (78. l. 47. infr. de oblig. & act. l. 33. l. 125. l. 128. in pr. l. 154. in pr. infr. de reg. jur. (79. l. 18. supr. de recept. qui arbitr. l. 2. C. quando provocare l. 2. inf. de decret. ab ordine fac. (80. l. 37. supr. h. t. (81. Vide tamen l. 5. C. quæ res pignori. (82. l. 33. §. ult. supr. de donat. (83. l. 24. in fin. supr. h. t. (84. d. l. 24. in pr.

dem-

(57. l. 63. §. 1. supr. d. t. l. 14. in pr. supr. soluto matrim. (58. l. 41. in fin. pr. infr. h. t. l. 7. in pr. infr. de except. (59. l. 25. l. 41. in fin. pr. infr. h. t. l. 63. §. 2. supr. pro socio. (60. l. 12. l. 13. supr. soluto matrim. excip. l. 18. in pr. d. t. (61. Vide tamen l. 19. in pr. supr. de recept. qui arbitr. (62. l. 26. §. 1. supr. de condic. indeb. l. 28. C. de usur. (63. Immo vide l. 19. infr. de appellat. l. 1. §. 2. infr. quæ sent. sine appellat. (64. Immo vide l. 38. infr. h. t. (65. Immo vide l. ult. C. si pendente appellat. (66. l. 12. f. pr. de donat. (67. l. 19. in fin. supr. l. 49. in fin. l. 50. infr. h. t. l. 62. supr. de adil. edict. l. 173. in pr. infr. de reg. jur. (68. l. 16. in fin. supr. h. t. (69. l. 21. supr. de judic. l. 1. infr. iudicat. solvi l. ult. C. de usur. er. judic. §. 2. Inst. de offic. judic. (70. l. 2. C. ad leg. Cornel. de fals. (71. l. ult. C. de execut. rei judic.



demnandus est: potuit enim non periclitari, si statim restituisset: si dolo 85 desit possidere, in litem iurabitur, & tanti sequetur condemnatio. §. 2. In solidum condemnatus donator, actione iudicati, nisi 86 in quantum facere potest, non tenetur beneficio Constitutionis.

*Si sententia mutetur, vel suppleatur.*

42. IDEM (lib. 3. Responsorum.)

Paulus respondit, rescindere quidem sententiam 87 suam præcedentem Prætozem non posse: reliqua autem, quæ ad consequentiam quidem jam statutorum pertinet, priori tamen sententia defunt, circa condemnandum reum vel absolvendum debere supplere, scilicet eodem die.

*De pluribus condemnatis.*

43. IDEM (lib. 16. Responsorum.)

Paulus respondit, eos 88, qui una sententia in unam quantitatem condemnati sunt, pro portione virili ex causa iudicati conveniri, & si ex sententia adversus tres dicta, Titius portionem sibi competentem exsolvit: ex persona ceterorum ex eadem sententia conveniri eum non posse.

*De abstentione pupillæ, quæ nomine hereditario condemnata fuerat.*

44. SCÆVOLA (lib. 5. Responsorum.)

Ex contractu paterno actum est cum pupilla tutore auctore, & condemnata est; postea tutores abstinerunt eam bonis paternis, & ita bona defuncti ad substitutum, vel ad coheredes pervenerunt. Quæritur, an hi ex causa iudicati teneantur? Rescripsit: dandam in eos actionem, nisi culpa tutorum pupilla condemnata est.

*De actis circumducendis. 1. De amplianda, vel minuenda pœna.*

45. PAULUS (lib. 1. Sententiarum.)

Acta apud se habita, si partes consentiant, & iudex hoc permiserit, potest jubere ea die circumduci: nisi vel negotium, vel litem terminata est. §. 2. De amplianda, vel minuenda 89 pœna damnatorum post sententiam dictam, sine Principali auctoritate nihil est statuendum. §. 1. Contra indefensos minores tutorem, vel curatorem non habentes, nulla sententia proferenda est.

*De actorum emendatione.*

46. HERMOGENIANUS (lib. 2. Juris Epitomarum.)

Actorum verba emendare, tenore sententiæ perseverante, non est prohibitum.

*De presentibus, & absentibus.*

47. PAULUS (lib. 5. Sententiarum.)

De unoquoque negotio presentibus 90 omnibus, quos causa contingit 91, iudicari oportet: aliter enim iudicatum tantum inter presentes tenet. §. 1. Qui apud fiscum causam defendere læpius 92 conventi neglexerint, rebus iudicatis subijciendi sunt; quod eo apparet, si sæpe conventi presentiam suam facere noluerint.

*Ut Decreta latine interponantur.*

48. TRYPHONINUS (lib. 2. Disputationum.)

Decreta a Prætoribus Latine 93 + interponi debent.

*De eo, qui patri non successit. De donatore.*

49. PAULUS (lib. 2. Manualium.)

Et exheredatum 94 vel eum, qui se paterna hereditate abstinuit, nec ex ipsius contractu, nisi (in) id, quod facere potest, condemnandum. + Quemadmodum autem facere posse credatur, videndum est: utrum deducto 95 omni ære alieno, ut is, qui ex donatione convenitur? an ut maritus, & patronus nullo 96 deducto ære alieno? Et indubitati juris est, ad similitudinem viri, & patroni ei detrahendum: pinguius 97 enim donatori succurere debemus, quam ei, qui verum debitum persolvere compellitur;

50. TRYPHONINUS (lib. 12. Disputationum.)

Ne liberalitate sua inops fieri periclitetur.

*De eo, qui dolo fecit ut bona ejus venirent. 1. Si creditor missus in possessionem, admissus non sit: sed quanti ejus interfuerit, consecutus sit.*

51. PAULUS (lib. 2. Manualium.)

Si quis dolo fecerit, ut bona ejus venirent, in solidum tenetur. §. 1. Si quis creditorem missum in possessionem, rei servandæ causa, non admiserit, si venditor præstiterit creditori, quanti ejus interfuerit: Quæsitum est, an debitor liberetur? Et puto improbum esse eum, qui velit iterum 98 consequi, quod accepit.

*De actione rerum amotarum.*

52. TRYPHONINUS (lib. 2. Disputationum.)

Si rerum amotarum cum viro agatur, quamquam videatur ea quæque actio præcedentis societatis 99 vitæ causam habuisse, in solidum condemnari debet: quoniam 100 ex malo contractu, & delicto oritur.

*De contumacia.*

53. HERMOGENIANUS (lib. 1. Juris Epitomarum.)

Contumacia eorum, qui jus dicenti non obtemperant, litem 101 damno coercetur. §. 1. Contumax est, qui tribus 102 Edictis propositis, vel uno 103 pro tribus, quod vulgo peremptorium appellatur, literis evocatus presentiam sui facere contemnit. §. 2. Pœnam contumacis non patitur, quem adversa valetudo 104, vel majoris causæ 105 occupatio defendit. §. 3. Contumaces non videntur, nisi qui, cum obedire deberent, non obsequuntur: id est, qui ad jurisdictionem ejus, cui negant obsequi, pertinent.

54. PAULUS (lib. 1. Sententiarum.)

Contra pupillum indefensum 106, eumque, qui Reipublicæ causa abest, vel minorem xxv. annis propositum peremptorium nihil momenti habet. §. 1. Is, qui ad majus auditorium vocatus est 107, si litem inchoatam deseruit, contumax non videtur;

*De sententia non corrigenda.*

55. ULPIANUS (lib. 51. ad Sabinum.)

Judex, postquam semel sententiam dixit, postea iudex esse desinit, & hoc jure utimur: ut iudex, qui semel vel pluris, vel minoris condemnavit, amplius corrigere 108 sententiam suam non 109 possit: semel enim male, seu bene officio functus est.

*De questione finita.*

56. IDEM (lib. 27. ad Edictum.)

Post rem iudicatam, (vel) jurejurando 110 decisam, vel confessionem in jure 111 factam, nihil quæritur post orationem Divi Marci: quia in jure confessi pro 112 iudicatis habentur.

*De minore xxv. annis.*

57. IDEM (lib. 2. Disputationum.)

Quidam consulebat, an valeret sententia a minore xxv. annis iudice data? Et æquissimum est, tueri sententiam ab eo dictam, nisi 113 minor decem & octo annis sit. + Certe si magistratum minor gerit, dicendum est, jurisdictionem ejus non improbari. Et si forte ex consensu iudex minor datus sit scientibus his, qui in eum consentiebant: rectissime dicitur, valere sententiam: proinde si minor Prætor, si Consul jus dixerit, sententiamve protulerit, valet; Princeps enim, qui ei magistratum dedit, omnia gerere decrevit.

*De pignoribus captis, 1. Et distractis, cum sententia non processisset.*

58. IDEM (lib. 7. Disputationum.)

Si cum 114 nulla sententia processisset, capta sunt & distracta pignora, possunt revocari.

*Ut condemnatio certa sit. 3. De morte rei.*

59. IDEM (lib. 4. de omnibus Tribunalibus.)

In sententiis sufficit, si expresserit iudex summam (in sententia,) solvique jufferit, vel præstari, vel quo alio verbo hoc significaverit. §. 1. Amplius est rescriptum, & si in sententia non sit summa adjecta, si tamen is, qui petit, summam expresserit, & iudex ait: solve, quod petitum est, vel quantum petitum est: valere sententiam. §. 2. Qui fortis quidem condemnationem faciunt, de

(85. l. 5. §. 3. supr. de in litem iurando. (86. l. 33. in pr. supr. de donat. (87. l. 14. supr. h. t. l. 1. C. sentent. rescindi non posse. (88. l. 10. §. 3. infr. de appellat. l. 1. l. 2. C. si plures una sentent. (89. l. 1. in fin. inf. de quest. l. 9. §. 11. inf. de pœnis. l. 1. C. sentent. rescindi non posse. l. 3. C. comminat. epist. program. (90. l. 1. §. 3. inf. quæ sentent. sine appellat. l. 7. C. quomodo & quando iudex l. 39. sup. de ad opt. (91. l. 14. in fin. inf. de appellat. l. 3. §. 9. l. 7. infr. de jure fisci. (92. d. l. 14. in fin. (93. Detog. l. 12. C. de sent. & interlocut. (94. l. 3. §. 4. vers. proinde. sup. de minor. l. 2. sup. quod cum eo, qui in alien. potest. (95. l. 54. sup. soluto matrim. (96. l. 16. l. 19. sup. h. t. l. 53. l. 54. supr. solut. matrim. l. 63. §. 3. supr. pro socio. (97. l. 30. sup. h. t.

(98. l. 57. infr. de reg. jur. l. 34. in pr. inf. de oblig. & act. (99. l. 1. sup. de ritu nupt. (100. l. 21. in fin. supr. rer. amot. (101. l. 68. supr. de rei vind. l. ult. §. 1. inf. de appellat. (102. l. 73. supr. de judic. (103. l. 72. sup. d. t. l. 8. C. quomodo & quando iudex. (104. l. 60. inf. h. t. (105. l. 10. C. quomodo & quando iudex. (106. l. 45. in fin. sup. h. t. (107. V. tamen l. 2. in fin. sup. de in jus vocando. (108. l. 27. in pr. inf. de pœn. (109. Immo vide l. 42. sup. de minor. (110. l. 1. C. de reb. cred. (111. l. 1. §. 7. sup. si quid in fraud. patron. l. 4. C. de repud. vel abst. in hered. (112. l. 6. inf. t. prox. (113. l. 41. supr. de recept. qui arbit. l. 12. §. 2. supr. de judic. (114. l. 1. C. de execut. rei judic.



usuris autem ita pronunciant: *usura 115 si qua competunt*, (vel *qua competunt*, ut *praesentur*: non recte pronunciant: debent enim de usuris quoque cognoscere, & certam facere condemnationem. §. 3. Si quis ex Edicto peremptorio post mortem sit condemnatus, non 116 valet sententia: quia morte rei peremptorium solvitur, ideoque ut (in) re integra de causa notio praestabitur, &, quod optimum patuerit, statuetur.

*De morbo fontico.*

60. JULIANUS (lib. 5. Digestorum.)

Quaeritur: cum alter ex litigatoribus febricitans discessisset, & iudex absente eo pronunciaisset: an iure videretur pronunciaisse? Respondit, Morbus fonticus 117, etiam invitus litigatoribus ac iudice, diem differt 118. Sonticus autem existimandus est, qui cuiusque rei agenda impedimento 119 est; litiganti potero quid magis impedimento est, quam motus corporis contra naturam, quem febrem appellant; igitur si rei iudicanda tempore alter ex litigatoribus febrem habuit, res non videtur iudicata. † Potest tamen dici esse aliquam & februm differentiam: nam si quis sanus alias ac robustus, tempore iudicandi levissima 120 febre correptus fuerit; aut si quis tam veterem quartanam habeat, ut in ea omnibus negotiis superesse soleat: poterit dici, morbum fonticum non habere.

*De eo, cui prior reus condemnatus fuit.*

61. IDEM (lib. 45. Digestorum.)

In iudicati actione 121 non prius ratio haberi debet ejus, cui prior reus condemnatus fuerit.

*De sententia non mutanda.*

62. ALFENUS VARUS (lib. 6. Digestorum a Paulo Epitomatorum.)

Cum quaeretur, iudex, si perperam iudicasset, an posset eodem die iterum iudicare? Respondit, non 122 posse.

*An sententia inter alios dicta aliis praedictet.*

63. MACER (lib. 2. de Appellationibus.)

Sape constitutum 123 est, *res inter alios iudicatas aliis non praedictet*. † Quod tamen quamdam distinctionem habet: nam sententia inter alios dicta aliis quibusdam etiam scientibus obest: quibusdam vero, etiam si contra ipsos iudicatum sit, nihil nocet. Nam scientibus nihil praedictet, veluti si ex duobus heredibus debitoris alter condemnatur; nam alteri integra defensio est, etiam si eum coherede suo agi scierit. Item si ex duobus petitoribus alter victus adqueverit, alterius petitioni non praedictet; idque ita rescriptum est. † Scientibus sententia, quae inter alios data est, obest, cum quis de ea re, cuius actio, vel defensio primum sibi competit, sequenti agere patiat 124: veluti si creditor experiri passus sit debitorem de proprietate pignoris; aut maritus focerum, vel uxorem de proprietate rei in dote acceptae; aut possessor venditorem de proprietate rei emtae, & haec ita ex multis Constitutionibus intelligenda sunt. \* Cur autem his quidem scientia nocet, superioribus vero non nocet? Illa ratio est, quod qui scit coheredem suum agere, prohibere eum, quo minus uti velit, propria actione, vel defensione utatur, non potest: is vero, qui priorem dominum defendere causam patitur, ideo propter scientiam praescriptione rei, quamvis inter alios, iudicata summoveretur, quia ex voluntate ejus de iure, quod ex persona agentis habuit, iudicatum est. Nam & si libertus meus, me interveniente, servus, vel libertus alterius iudicetur, mihi praedictet. † Diversa causa est, si fundum a te Titius petierit, quem ego quoque, sed non ex persona Titii, ad me pertinere dico: nam quamvis contra Titium me sciente, iudicatum sit, nullam tamen praedictet patiatur; quia neque ex eo iure, quo Titius victus est, vindico, neque potui Titio intercedere, quo minus iure suo utatur: sicut & de coherede supra diximus.

*An usura currant appellatione pendente.*

64. SCAEVOLA (lib. 25. Digestorum.)

Negotiorum gestorum condemnatus appellavit, & diu negotium tractum est: quaeritur, appellatione ejus iniusta pronun-

ciata, an, quo tardius 125 iudicatum sit, usurae pecuniae in condemnationem deductae medii temporis debeantur? Respondit, secundum ea, quae proponerentur, dandam utilem actionem.

TIT. II.

DE CONFESSIS. I

*De effectu confessionis.*

1. PAULUS (lib. 56. ad Edictum.)

Confessus pro 2 iudicato est: qui quodammodo sua sententia damnatur.

*De errore.*

2. ULPIANUS (lib. 58. ad Edictum.)

Non fatetur, qui errat 3, nisi jus ignoravit.

*De legato.*

3. PAULUS (lib. 9. ad Plautium.)

Julianus ait, confessum, certum se debere legatum, omnimodo damnandum, etiam si in rerum 4 natura non fuisset, & si iam a natura recessit: ita tamen, ut in aestimationem ejus damnetur; quia confessus pro 5 iudicato habetur.

*De lege Aquilia.*

4. IDEM (lib. 15. ad Plautium.)

Si is, cum quo Lege Aquilia 6 agitur, confessus est servum occidisse: licet non occiderit, si tamen occisus sit homo ex confesso tenetur.

*De morte servi, quem quis se debere confessus est.*

5. ULPIANUS (lib. 27. ad Edictum.)

Qui Stichum debere se confessus est, sive mortuus iam Stichus erat; sive post litis contestationem decesserit, condemnandus est.

*De confesso certum vel incertum.* 2. *De rei vindicatione, & aliis actionibus.* 3. *De interdictis.* 3. *De absentia adversarii.* 4. *De confessione procuratoris, tutoris, vel curatoris.* 5. *Vel pupilli, vel minoris.* 6. *De tempore quod datur iudicatis.*

6. IDEM (lib. 5. de omnibus Tribunalibus.)

Certum 7 confessus, pro iudicato erit 8; incertum non erit. §. 1.

Si quis incertum confiteatur, vel corpus sit confessus, Stichum vel fundum dare se oportere: urgeri debet, ut certum confiteatur. † Item eum, qui rem confessus est, ut certam quantitatem fateatur. §. 2. Sed & si fundum vindicem meum esse, tuque confessus sis; perinde habeatis, atque si domini mei fundum esse pronunciatum esset. † Et si alia quacumque actione civili, vel honoraria, vel interdicto exhibitorio, vel restitutorio, vel prohibitorio, dum quis convenitur, confiteatur; dici potest, in his omnibus subsequi Praetorem voluntatem Orationis Divi Marci debere: & omne omnino, quod quis confessus est, pro iudicato haberi. † Dabitur igitur ex his actionibus, ex quibus dies datur ad restituendam rem, confesso tempus ad restitutionem: & si non restituatur, lis aestimabitur. §. 3. Si quis, absente 9 adversario, confessus sit, videndum, numquid non debeat pro iudicato haberi: quia nec qui jurat de operis, obligatur: nec soleat 10 quis absenti condemnari. † Certe procuratorem, tutorem, curatoremve praesentem esse sufficit. §. 4. Sed an & ipsos procuratores, vel tutores, vel curatores fateri sufficiat, videamus? Et non puto sufficere. §. 5. In pupillo 11 tutoris auctoritatem exigimus. † Minorem a confessione sua restituemus. §. 6. Confessi utique post confessionem tempora quasi ex causa iudicati habebunt.

*De arbitrio post confessionem dato.*

7. AFRICANUS (lib. 5. Quaestionum.)

Cum fideicommissum peteretur, heres confessus est debere: arbiter ad restituendum datus, comperit nihil deberi: Quaeritur, an possit absolvere? Respondi, posse interesse, quae ex causa nihil debeat. Nam si ob id, quod nullum fideicommissum fuerit, non debere eum absolvere. Si vero, quia testator forte solvendo non erat: aut quod heres omne solutum esse apud Praetorem dixerat, & cum controversia, & computatio difficilior esset, arbiter datus fuerit: salvo officio eum absolutorum; has enim partes ejus esse, ut, si in computatione nihil inveniatur, possit absolvere; sed & ex superiore casu ad Praetorem remittere debeat, ut absolvatur.

(125. l. 41. in pr. supr. de usur.)

TIT. II. (1. Lib. 7. C. 59. (2. l. 3. in fin. l. 6. in pr. & §. 2. in fin. inf. l. un. C. de repud. vel abstin. hered. (3. v. l. 57. infr. de oblig. & act. (4. l. 5. l. ult. inf. h. t. (5. l. 1. sup. eod. (6. l. 23. in fin. sup. ad leg. Aquil. (7. l. 3. sup. h. t. (8. l. 1. sup. eod. (9. l. 47. in pr. supr. de re iudic. l. 7. C. quomodo & quando iudex. (10. Immo vide l. 13. §. 2. circa fin. C. de iudic. (11. l. 1. C. qui legit. person. standi in iudic.)

(115. l. 3. C. de sentent. quae sine certa quantitat. adde l. 31. supr. de usur. (116. l. 57. in fin. supr. de iudic. l. 2. infr. quae sent. sine appell. (117. l. 4. §. 5. sup. de adil. edict. (118. l. 2. §. 3. sup. si quis caution. (119. l. 53. §. 2. sup. h. t. l. 10. in fin. supr. de excusat. (120. l. 1. §. 8. supr. de adil. edict. (121. Immo vide l. 19. supr. h. t. l. 10. supr. qui potior. in pign. (122. l. 55. in fin. supr. h. t. (123. tit. C. inter alios acta vel iudic. l. 31. in fin. sup. de iudic. l. 16. in fin. supr. qui potior. in pign. l. 10. infr. de except. l. 1. infr. de except. rei iudic. l. 14. §. 1. infr. de appellat. (124. v. l. 5. C. de pignorib.)



De re, quæ an exstet, incertum est.

8. PAULUS ( lib. 4. ad Sabinum. )

Non omnimodo confessus condemnari debet rei nomine, quæ an in rerum natura esset, incertum sit.

TIT. III.

DE CESSIONE BONORUM. I.

De credito ob restitutionem adificiorum.

1. ULPIANUS ( lib. 17. ad Edictum. )

Creditori, qui ob restitutionem adificiorum crediderit, privilegium exigendi datur.

De his, qui in locum priorum creditorum succedunt.

2. IDEM ( lib. 21. ad Edictum. )

In personalibus actionibus, qui postea quidem contraxerunt, verum ut pecunia eorum ad priores creditores perveniat, in locum eorum succedunt.

De bonis nondum venditis, & de penitentia.

3. IDEM ( lib. 58. ad Edictum. )

Is, qui bonis cessit, ante rerum venditionem utique bonis suis non caret, quare, si paratus fuerit se defendere, bona eius non veneunt.

Si is, qui bonis cessit, postea aliquid acquirat. De eo, qui bonis cessit, non inquietando.

4. IDEM ( lib. 59. ad Edictum. )

Is, qui bonis cessit, si quid postea adquisierit, in quantum facere potest, convenitur. Sabinus, & Cassius putabant, eum, qui bonis cessit, ne quidem ab aliis, quibus debet, posse inquietari.

De penitentia.

5. PAULUS ( lib. 56. ad Edictum. )

Quem poenitet bonis cessisse, potest, defendendo se, confessi, ne bona eius veneant.

Si is, qui bonis cessit, postea aliquid acquirat.

6. ULPIANUS ( lib. 64. ad Edictum. )

Qui bonis suis cessit, si modicum aliquid post bona sua vendita adquisivit: iterum bona eius non veneunt. Unde ergo modum hunc æstimabimus? utrum ex quantitate eius, quod adquisitum est, an vero ex qualitate? Et putem, ex quantitate id æstimandum esse eius quod quæsit: dummodo illud sciamus, si quid misericordie causa ei fuerit relictum, puta mentruum, vel annum, alimentorum nomine non oportere propter hoc bona eius iterato venundari: nec enim fraudandus est alimentis quotidianis. Idem & si ususfructus ei sit concessus, vel legatus, ex quo tantum percipitur, quantum ei alimentorum nomine satis est.

7. MODESTINUS ( lib. 2. Pandectarum. )

Si debitoris bona venierint: postulantibus creditoribus permittitur, rursum ejusdem debitoris bona distrahi, donec suum consequantur: si tales tamen facultates acquisita sunt debitori, quibus Prætor moveri possit.

De eo, qui nec debere agnovit, neque est condemnatus, neque in iure confessus.

8. ULPIANUS ( lib. 26. )

Qui cedit bonis, antequam debitum agnoscat, condemnatur, vel in jus confiteatur: audiri (non) debet.

De cessione in iure, vel extra jus, de nuncio, de epistola.

9. MARCIANUS ( lib. 15. Institutionum. )

Bonis cedi non tantum in iure, sed etiam extra jus potest. Et sufficit & per nuncium, vel per epistolam id declarari.

TIT. IV.

QUIBUS EX CAUSIS IN POSSESSIONEM DATUR.

Quibus ex causis in possessionem mittitur.

1. ULPIANUS ( lib. 12. ad Edictum. )

Tres fere causæ sunt, ex quibus in possessionem mitti solet: rei servanda causa, item legatorum servandorum gratia, & ventris nomine; damni enim infecti nomine, si non caveatur, non in universorum nomine fit missio; sed rei tantum, de qua damnum tuetur.

(12.l.3. supr. h. t.)

TIT. III. (1. Lib. 7. C. 71. Nov. 135. (2. l. 25. sup. de reb. cred. (3. l. 12. §. 7. in fin. sup. qui potior. in pign. l. 24. in fin. inf. de reb. auct. judic. l. ult. C. de privileg. fisci. (4. l. 5. infr. h. t. (5. l. 6. infr. eod. §. ult. Inst. de action. (6. l. 3. supr. h. t. (7. Adde l. 7. in fin. infr. eod. (8. v. l. 4. l. 6. supr. eod. (9. Adde l. 6. C. qui bonis cedere possunt.

TIT. IV. (1. l. 4. in fin. sup. de offic. ejus, cui mandata est jurisdic. l. 3. in fin. l. 10. §. 1. sup. de acquir. vel omitt. poss. (2. l. 6. l. 7. inf. h. t. & inf. de curat. bonis dando. (3. sup. ut in possess. legat. (4. l. 24. in pr. inf. de reb. auct. judic. l. 8. sup. de curat. furios. & sup. de ventre in possess. (5. l. 4. §. 1. de damno infecto.

Judicio fisci.

2. IDEM ( lib. 5. ad Edictum. )

Prætor ait: In bona ejus, qui iudicio sistendi causa fidejussorem dedit: si neque potestatem sui faciat, neque defenderetur, iri jubebo. §. 1. Potestatem autem sui non facit, qui id agit, ne adversarius ejus copiam sui habeat. Ergo Latitantis bona jubet possideri. §. 2. Quid, si non latitet, sed absens non defendatur? nonne videtur, potestatem sui non facere? §. 3. Defendi autem videtur, qui per absentiam suam in nullo deteriore causam adversarii faciat. §. 4. Hæc verba, defenderetur, παρασταντικός, id est, fufius, & cum extensione, scripta sunt: ut neque sufficiat unquam defendisse, si non daret defensio: neque oblit, si nunc offeratur.

De pupillo, & furioso.

3. IDEM ( lib. 59. ad Edictum. )

Apud Julianum quaeritur, si communem rem cum Titio pater pupilli habuerit, & communi dividendo iudicio pupillus non defendatur, nihilque erit, cujus nomine propter personam patris condemnatio fieri debeat: utrum venire bona patris oporteat, an vero rei servanda causa possideantur? Et ait Julianus: Si quidem pater aliquos fructus percepit, aut fecerit rem deteriore, bona ejus venire possunt: si vero nihil sit, propter quod patris bona veneant, pupilli possideri. Marcellus autem notat: perquam iniquum esse, eum, qui nihil cum pupillo contraxit, expectare ejus pubertatem, quæ sententia habet rationem: ideoque cum contractus ex persona patris descendat, dicendum erit, non esse expectandam pupilli pubertatem. §. 1. Contractum cum pupillo potest dici, & si cum servo ejus contractum sit; competit enim adversus eum de peculio actio. Unde probandum est, ex omnibus causis, ex quibus adversus pupillum actio datur, hoc idem servandum. Et facilis erit hoc probandum in servo, qui in rem domini vertit, aut jussu ejus, aut si institoria cum eo agi possit. §. 2. Ego puto: & si cum tutore ejus contractum est, ex qua causa actio in pupillum datur: magis est, ut Edicto locus sit, quasi cum eo contractum sit. §. 3. Si pupillus heres extiterit alicui, exque ea causa legata debeat: videndum est, an huic Edicto locus sit magisque est, ut Marcellus scribit, etiam pupilli posse bona possideri, esseque in arbitrio hereditariorum creditorum, quid potius eligant: etenim videtur impubes contrahere, cum adiit hereditatem.

4. PAULUS ( lib. 43. ad Edictum. )

Sed & is, qui miscuit se, contrahere videtur.

5. ULPIANUS ( lib. 58. ad Edictum. )

Hæc autem locum habent, quoties pupillus non defendatur a quocumque, sive a tutore, vel curatore: sive habeat tutorem pupillus, sive non habeat: ceterum si existat aliquis, qui defendere sit paratus, cessabit rei servanda causa possessio. §. 1. Non defendi pupillum constare debet, liquereque Prætori, ut sic permittat bonorum possessionem. Hoc autem constare debet sic: Evocandi sunt ad Prætorum tutores pupilli, ut defendant: si autem non habet tutores, requirendi cognati vel adfines, & si qui alii forte sunt, quos verisimile est defensionem pupilli, pupilla, non omisuros, vel propter necessitudinem, vel propter caritatem, vel qua alia ratione: liberti etiam, si qui sunt idonei, evocandi, exquirendaque defensio. Si autem negent se defendere, aut non negent, sed taceant, tunc Prætor possessionem dabit: tamen scilicet, quoad non defendatur: si defendi coeperit pupillus, vel pupilla, desinet possideri idem est & in furioso. §. 2. Ait Prætor si is pupillus in suam tutelam venerit, cave pupilla viripotens fuerit, & recte defendetur: eos, qui bona possident, de possessione decedere jubebo. §. 3. Recte defendi quid sit, videamus: utrum tantum copiam sui facere, & ad suscipiendum iudicium paratum esse: an vero & satisfacere omnimodo? Et quidem non solum ipsis se defendere volentibus hoc Edictum scriptum est, sed in rem, & recte defendetur: hoc est, vel a se, vel ab alio quocumque; sed si alius defendat, erit necessaria satisfactio: si ipse, non puto necessariam satisfactionem: ergo oblata defensione deijci poterit Interdicto reddito.

(6. l. 3. in fin. C. de procur. l. 13. §. 3. C. de judic. l. 2. in fin. C. ubi in rem actio. l. 8. in fin. C. quomod. & quando judex. Nov. 53. c. 4. in fin. (7. l. 5. inf. de reb. auct. judic. (8. l. 3. §. 3. supr. de pecul. (9. Immo vide l. 1. §. 7. supr. quod jussu. (10. l. 10. supr. de instit. act. (11. l. 11. in pr. supr. d. t. (12. §. 5. Inst. de oblig. qua quasi ex contract. (13. d. §. 5. (14. l. 22. §. 1. supr. de in jus vocand. l. 33. §. 2. supr. de procurat. l. 4. in fin. infr. tit. prox. (15. l. ult. supr. ubi pupill. l. 5. §. 11. supr. de reb. eor. qui sub tut. (16. Adde l. 1. §. 7. supr. de suspect. (17. l. 50. supr. de legat. 3. (18. l. 52. supr. d. t. (19. l. 63. supr. de judic. (20. l. 110. §. 1. infr. de reg. jur. De



*De creditore conditionali. 1. De absente. 2. De captivo.*

6. PAULUS (lib. 57. ad Edictum.)

In possessionem mitti solet 21 creditor, & si sub conditione ei pecunia promissa sit. §. 1. Cum dicitur; *Et ejus cuius bona possessa sunt a creditoribus, veneant, præterquam pupilli & ejus, qui 22 Reipublicæ causa sine dolo malo absuit;* intelligimus, ejus, qui dolo malo abfuerit, posse venire. §. 2. si ab hostibus quis captus 23 sit, creditores ejus in possessionem mittendi sunt: ut tamen non statim bonorum venditio permittatur, sed interim bonis curator detur 24.

*De creditoribus non alendis. 1. De latitatione Edictum. 2. De fraudatione. 3. De non latitante. 4. Quid sit latitare. 9. De furioso. 12. De prodigo, & ceteris, qui curatorum ope juvantur. 13. Quid sit latitare. De fraudatione. 14. De obligatione in diem, vel conditionali, vel cui obstat exceptio. 15. De peculio. 16. De actione in rem. 17. De absente. 18. De petitione hereditatis.*

7. ULPIANUS (lib. 59. ad Edictum.)

Fulcinius existimat, creditores rei servandæ causa missos in possessionem, ex his rebus ali non 25 debere. §. 1. Prætor ait: *Qui fraudationis 26 causa latitavit, si boni viri 27 arbitrati non defendatur, ejus bona possideri, vendique jubebo.* §. 2. Cum hoc Edictum locum habeat, non sufficit latitare, sed & necesse est, fraudationis causa id fieri: neque quod fraudationis causa sine latitatione sit, satis est ad possessionem, & venditionem: sed oportet fraudationis causa latitare; & est frequentissima hæc causa possessionis: nam in usu latitantium bona possidentur. §. 3. Si quis possederit bona alicujus quasi latitantis, qui non latitabat, & vendiderit; consequens erit dicere, venditionem bonorum secutam nullius momenti esse. §. 4. Quid sit autem latitare, videamus? *Latitare est, non (ut Cicero definit) turpis occultatio sui; potest enim quis latitare non turpi de causa: veluti qui tyranni crudelitatem timet, aut vim hostium, aut domesticas seditiones.* §. 5. Sed is, qui fraudationis causa latitet, non tamen propter 28 creditores, & si hæc latitatio creditores fraudet, in ea tamen erit causa, ne hinc possidere bona ejus possint: quia non hoc animo latitet, ut fraudetur creditoribus: animus enim latitantis quaeritur, quo animo latitet: ut fraudet creditores, an alia ex causa. §. 6. Quid ergo, si duas causas latitandi habuit, vel plures, inter quas etiam fraudandi creditores? an venditio recte procedat? & puto probandum, si plures causæ sint latitationis, inter quas est & fraudationis causa, nocere debere, posseque hinc bona vendi. §. 7. Quid, si adversus quosdam occultare se consilium non est, adversus quosdam est? quid dicemus? & rectissime Pomponius scribit, non adversus omnes latitationem exigendam, sed adversus eum, quem quis decipere, & fraudare latitatione destinat. † Utrum ergo omnes bona ejus vendere possunt, quia latitat; hoc est etiam hi, adversus quos non latitat; quia verum est, eum latitare: an vero is solus, adversus quem latitat? Et quidem verum est, eum latitare, & fraudationis causa latitare, & si non adversus me latitet. † Sed illud tractandum Pomponius putat, an adversus me, eumque solum posse hinc venditionem impetrare, adversus quem latitetur? §. 8. Latitare autem est, cum tractu aliquo latere: quemadmodum facitare, frequenter facere. §. 9. Adeo autem latitatio animum, & affectum latitantis desiderat, ut recte dictum sit, furiosum 29 hinc venditionem pati non posse, quia non se occultat, qui suus non est. §. 10. Plane si non defendatur furiosus, curatorem ei dandum: aut bona ejus ut possideantur, nominatim permittendum est. Labeo autem scribit, si non inveniatur curator, vel defensor furiosi; sed & si curator datus, eum non defendat: tunc removendum eum, & oportere Prætorum dare curatorem aliquem ex creditoribus, ut non amplius, quam necesse est, ex bonis furiosi veneat, eaque servanda, Labeo ait, quæ solent servari, cum venter in possessionem mittitur. §. 11. Plane interdum bona ejus, causa cognita, vendenda erunt, si urgeat res alienum, & dilatio damnum sit allatura creditoribus. Ita autem vendenda, ut quod superfit, furioso detur: quia hominis ejus status, & habitus a pupilli conditione non multum abhorret, quod quidem non est sine ratione. §. 12. Idemque & in prodigo dicendum est, ceterisque, qui curatorum ope juvantur: nec enim quisquam proprie latitare eos dixerit. §. 13. Illud sciendum est, posse quem in eadem civitate esse, & latitare; & in alia civitate (esse), & non latitare. Etenim qui in alia ci-

virate sit, copiamque sui faciat in publico, ibique pareat, an latitet, videamus? & hodie hoc jure utimur, ut si quis eodem loci agat, siue alio, siue peregre (agat), si tamen occursum 30 creditoris evitet, latitare videatur. Denique eum quoque, qui in foro eodem agat, si circa columnas 31 aut stationes se occultet, videri latitare, veteres responderunt: & posse quem adversus alterum latitare, adversus 32 alterum non. Constat autem, ut ipse ejus possit bona vendere, adversus quem latitat. §. 14. Si in diem vel sub conditione debitor latitet: antequam dies, vel conditio veniat, non possunt bona ejus venire 33: quid enim interest, debitor quis non sit, an nondum 34 conveniri possit? nam & si non sit debitor, idem dicemus. † Idem erit dicendum, & si quis habeat quidem actionem, sed talem 35, quæ per exceptionem repellitur. §. 15. Si quis actione de peculio, filii, vel servi nomine, conveniri possit: si latitet, eo jure utimur, ut possint bona ejus possideri, & venire, tametsi 36 nihil fuerit in peculio; quia esse potest: & rei judicæ tempus spectamus, utrum sit, an non sit, & quod teneat actio, etiamsi nihil in peculio fuerit. §. 16. Item videamus, si quis adversus in rem actionem latitet, an bona ejus possideri, vendique dari possint? Extat Neratii sententia, existimantis bona esse vendenda; (&) hoc Rescripto Hadriani continetur, quo jure utimur. §. 17. Celsus autem Sexto respondit, Si fundum, quem petere volo, Titius possideat, neque absens defendatur, commodius se existimare, in fundum possessione mittendum, quam bona ejus possideri: hoc adnotandum est, Celsum consultum non de latitante, sed de absente. §. 18. Idem Celsus existimat: Si is, a quo hereditatem petere velim, latitat: commodissime fieri posse, ut in possessionem mittar rerum, quas pro herede, vel pro possessore possidet: sed si dolo fecit, quo minus possideret, bona ejus possidenda, & vendenda sunt. §. 19. Divus quoque Pius in persona ejus, qui hereditatem possidens copiam sui non faciebat, rescripsit, in possessionem rerum hereditariarum adversarium inducendum: in quo Rescripto & fructum percipere jussit eum, qui per nimiam contumaciam possessoris hereditatis, ut lucro ejus cedat, in possessionem inductus est rerum hereditariarum.

*Si incertum sit, an heres sit extaturus.*

8. IDEM (lib. 60. ad Edictum.)

Si diu 37 incertum sit, heres extaturus, necne sit: causa cognita permitti oportebit, bona rei servandæ causa possideri: & si ita res urgeat 38 vel conditio, bonum etiam hoc erit concedendum, ut curator constituatur

*Si ex heredibus unus deliberat, alter repudiat.*

9. PAULUS (lib. 57. ad Edictum.)

Unus 39 ex creditoribus. §. 1. Si alter ex heredibus intra tempora sibi præstituta deliberet adire hereditatem, alter vero neget se aditurum: videndum est, quid creditoribus agendum sit? Et placet, interim eos in possessionem mittendos custodia causa, donec appareat is, qui deliberat, utrum agnoscat partem suam, an non agnoscat.

*De pupillo.*

10. ULPIANUS (lib. 81. ad Edictum.)

Si pupillus 40 præsens sit, tutorem autem non habeat: pro absente habendus est.

*De eo, quod filios familias sub conditione legatum est.*

11. PAULUS (lib. 8. ad Plautium.)

Si filios familias legatum vel fideicommissum sub conditione restitutum sit, dicendum est, tam ipsam, quam patrem in possessionem mittendos esse: quia arabo spem commodi habent.

*Effectus missionis.*

12. POMPONIUS (lib. 23. ad Quintum Mucium.)

Cum legatorum, vel fideicommissi servandi causa, vel quædam damni infecti nobis non caveatur, bona possidere Prætor permittit, vel ventris nomine in possessionem nos mittit, non possidemus, sed magis custodiam 41 rerum, & observationem nobis concedit.

*De remisso a Præfide ad Imperatorem. De exsule ad tempus.*

13. PAPINIANUS (lib. 14. Responsorum.)

Ad cognitionem Imperatorum a Præfide Provinciæ remissus, etiam in ceteris litibus Romæ defendere se non cogitur: tamen in Provincia defendendus est. Nam & exilio temporario puniti, si defensor non existat, bona veneunt.

(21. Obft. l. 14. in fin. infr. h. t. (22. l. 4. C. de restit. milit. (23. l. 22. §. 1. l. ult. §. 1. infr. de reb. auct. judic. (24. l. 6. in fin. supr. de tutel. l. 3. C. de postlim. revers. (25. Excip. §. ult. infr. hic. l. pen. supr. ut in possess. legat. l. 5. §. 3. supr. de Carbon. (26. §. 2. infr. hic. l. 19. supr. de in jus voc. l. 9. C. de bon. auct. jud. l. 8. C. quomodo & quando judex. (27. l. 18. infr. judicat. solvi. (28. v. §. 13. infr. hic. l. 36. infr. tit. prox. (29. l. 5. §. 1. in fin. supr. hic. l. 2. §. 3. supr. de jure codicill. l. 124. in fin. infr. de reg. jur.

(30. l. 36. in fin. infr. tit. prox. (31. d. l. 36. (32. §. 5. supr. h. l. (33. l. 9. in fin. C. de bon. auct. judic. (34. l. 50. in pr. supr. de peculio. §. 4. in fin. Inst. de verb. oblig. (35. l. 7. §. 8. supr. de dolo. l. 1. §. 10. infr. ad SC. Turpill. l. 112. infr. de reg. jur. (36. Obft. l. 50. in pr. supr. de peculio. (37. l. 3. sup. de curat. furios. l. 22. §. 1. infr. tit. prox. (38. l. 23. §. 2. in fin. supr. de hered. inst. (39. l. 2. §. 4. infr. de curat. bon. (40. l. 5. inf. tit. prox. (41. l. 5. in pr. supr. ut in possess. legat. l. 3. §. fin. supr. de acquir. vel amitt. possess. De



De creditore prohibito ingredi. De legato conditionali.

2. De creditore conditionali.

14. PAULUS (lib. 2. Quæstionum.)

Si quis creditorem prohibuerit, bona debitoris ingredi, datur 42 in eum actio, quanti ea res sit. §. 1. Sed & si quis legato- rum servandorum causa missus, in possessionem admittus non est: si legati conditio pendeat, licet possit deficere, æstimetur tamen id, quod legatum est: quia interest ejus, cautum habere. §. 2. Creditor autem conditionalis 43 in possessionem non 44 mittitur: quia is mittitur, qui potest bona ex Edicto vendere.

De permutatione, datione in solutum, litis æstimatione, stipulatione, donatione.

15. ULPIANUS (lib. 6. Fideicommissorum.)

Is, qui rem permutatam accepit, emtori similis 45 est. Item is, qui rem in solutum accepit (vel qui lite æstimata retinuit; vel ex causa stipulationis, non ob liberalitatem, est consecutus.

TIT. V.

DE REBUS I AUCTORITATE JUDICIS POSSIDENDIS (SEU VENDENDIS.)

Ubi fit venditio bonorum.

1. GAJUS (lib. 23. ad Edictum provinciale.)

Venire bona ibi oportet, ubi quisque defendi debet: (id est)

2. PAULUS (lib. 54. ad Edictum.)

Ubi domicilium haber.

3. GAJUS (lib. 23. ad Edictum provinciale.)

Aut ubi quisque contraxerit. Contractum autem non utique eo loco intelligitur, quo negotium gestum sit: sed 2 quo solvenda est pecunia.

De seruo instituto. 1. Si quis defunctum defendat.

4. PAULUS (liber 57. ad Edictum.)

Si servus sub conditione heres institutus sit, aut dubium sit, an is heres liberque futurus sit: non est iniquum, postulantibus creditoribus ita 3 decerni, ut, si ante certum tempus is heres non existerit: proinde 4 omnia observentur, ac si is heres ita institutus non esset; quod plerumque accideret, si sub conditione standi alicui pecuniz heres institutus sit, nec dies adpositus sit. Sed hoc, quantum ad bona, ita observandum. Ceterum libertas ei quandoque competet, & a Prætoris conservanda est, etiam si certum sit, neque heredem, neque bonorum possessorem futurum. §. 1. Si quis tamen heredem se spondendo, vel actiones patiando 6, defunctum defendat: bona defuncti venire non poterunt.

De minore XXV. annis.

5. ULPIANUS (lib. 60. ad Edictum.)

Si minor vigintiquinque annis, qui habet curatores a curato- ribus non defendatur, nec alium defensorem inveniat: bono- rum venditionem patitur, etsi non latitet: (licet) non fraudati- onis causa latitare videatur, qui sui non 7 est idoneus defensor.

De pupillo.

6. PAULUS (lib. 58. ad Edictum.)

Si non expedit pupillo, hereditatem parentis retinere: Præ- tor bona defuncti venire permittit, ut, quod superaverit 8, pupillo restituatur. §. 1. Si pupillus, antequam 9 abstineret, aliquid gesserit, servandum 10 est: utique si bona fide gessit. §. 2. Quid ergo, si quibusdam creditoribus solvit, deinde bona venierint? Si queratur, an repetitio sit, ex causa 11 id statu- endum, Julianus ait: ne alterius aut negligentia, aut cupiditas huic, qui diligens fuit, noceat. Quod si utroque instante tibi gratificatus tutor solvit: æquum esse, aut prius eandem portionem mihi queri, aut communicandum, quod accepisti: & hoc Julia- nus ait. Apparet autem loqui eum, si ex bonis paternis solu- tum sit. Quid ergo, si aliunde pupillus solverit? reddi ei de- bebent, necne? & utrum a creditore, an ex hereditate? Scævola noster ait, si aliquid sit in bonis, deducendum ex hereditate soli- dum, exemplo ejus, qui gessit negotia. Sed si nihil sit in bonis, non esse iniquum, adversus creditorem dandam repetitionem, quasi indebiti soluti.

De hereditario ære alieno.

7. GAJUS (lib. 23. ad Edictum provinciale.)

Hereditarium 12 æs alienum intelligitur etiam id, de quo cum defuncto agi non potuit: veluti, quod is, cum moreretur, daturum se promississet. Item quod is, qui pro defuncto fide- jussit, post mortem ejus solvit.

De usufructu. 1. De fructibus. De locatione, vel venditione.

8. ULPIANUS (lib. 61. ad Edictum.)

In venditionem bonorum 13 etiam usufructus veniat, quia ap- pellatione domini fructuarius quoque continetur. 14. §. 1. Si quis fructus ex prædio debitoris capi poterit, hunc creditor, qui in possessionem prædii missus est, vendere, vel locare 15. debet. Sed hoc ita demum, si ante neque venierit, neque locatus erit: nam si jam a debitore vel locatus erat, vel venderat: servabit Prætor venditionem, & locationem a debitore factam, & si mino- ris distractum est, vel locatum: nisi si in fraudem creditorum hoc fiat; tunc enim Prætor arbitrium dat creditoribus, ut ex integro locationem, vel venditionem faciant. §. 2. De ceterarum quoque rerum fructibus idem erit dicendum: ut, si qui locari possunt, lo- centur: puta mercedes servorum, vel jumentorum ceterorumque, quæ possunt locari. §. 3. De tempore locationis nihil Prætor locu- tus est: & ideo liberum arbitrium creditoribus datum videtur, quan- to tempore locent: quemadmodum illud est in arbitrio eorum, ven- dant, vel locent: scilicet sine dolo malo: ex culpa autem rei non fiunt. §. 4. Si unus sit, qui possideat bona, expeditum erit de lo- catione. Quod si non unus, sed plures sint, quis eorum debeat locare, vel vendere, queritur? Et si quidem convenirent eos, expeditissimum est: nam & omnes possunt locare, & uni hoc negotium dare: si vero non convenit, tunc dicendum est, Præ- torem causa cognita eligere debere, qui locet, vel vendat.

Edictum de fructibus, & impensis, & deterioratione.

1. Et ejus interpretatione.

9. IDEM (lib. 62. ad Edictum.)

Prætor ait: Si quis, cum in possessione bonorum esset, quod eo no- mine fructus caperit, ei ad quem ea res pertinet, non restituat: si- ve quod impensa 16 sine dolo malo fecerit, ei non præstabitur: si- ve dolo malo ejus deterior causa possessionis facta esse dicatur: de ea re judicium in factum 17 dabo. §. 1. Quod de fructibus ait, etiam de ceteris, quæcumque ex re debitoris pervenerunt, intelligendum est; & sane debuit hoc ita esse, quid enim, si ex compromisso, vel alio casu pœnam consecutus est? nam eam pœnam, quam con- secutus est, præstare debet. §. 2. Quod ait 18 Prætor: Si- ve quod impensa 19 (nomine) sine dolo (malo) fecit, ei non præstabitur: hoc eo spectat, ut si quid ipse erogavit creditor, si modo sine dolo malo erogavit, hoc ei præstetur: sufficit igitur sine dolo erogasse, etiam si nihil profuit erogatio ejus rei debitori. §. 3. His verbis, ad quem ea res pertinet, etiam curator bonis distrahendis datus continebitur, & ipse debitor, si contigerit, ne bona ejus veneant. Et ipsi itaque creditori adversus hos dabitur actio, quos enume- ravimus, si- ve quid in fructibus percipiendis erogavit, si- ve in fa- milia alendacurandave, prædiis fulciendis, vel reficiendis, vel dam- no infecto promittendo, vel seruo noxali judicio defenso: si modo non magis eum expedit dedere, quam retinere, quod si dedere expedit, consequens erit repetere eum (non) debere. §. 4. Gene- raliter etiam dicendum est, quicquid impendit in rem, si modo sine dolo malo impendit, repetere eum posse: nam negotiorum gestorum agere non magis potest, quam si socius commune ædificium ful- sit: quia hic quoque creditor commune, non 20 alienum nego- tium gessisse videtur. §. 5. Est præterea queritum; si deteriora prædia facta fuerint sine dolo malo creditoris, vel jura eorum amissa, vel ædificia diruta, vel exusta; item familiarum, pecorumque acta cura non sit, aut possessio alii tradita, sine dolo tamen malo: am- teneatur? Et apparet eum non teneri: quia dolo malo carer: erit- que melior ejus conditio, quam in pignore creditoris, qui non tantum dolum malum, verum culpam quoque debet. Eadem causa est curatoris bonorum: nam & is tenetur, ut creditores. §. 6. In eum quoque, qui neque locavit 21 fructum prædii, ne- que vendidit, in factum actionem dat Prætor: & in hoc condem- nabitur, quanto minus propter hoc perceptum est, quia neque vendidit, neque locavit. Ceterum si tantum perceptum est

(42. l. 1. infr. ne vis fiat ei. (43. l. 7. §. 14. supr. h. t. (44. Obst. l. 6. in pr. supr. eod. (45. l. ult. supr. de rer. permut.

TIT. V. (1. Lib. 7. C. 72. (2. l. 3. in fin. supr. de act. emt. l. 21. infr. de oblig. & act. (3. l. 23. §. 2. supr. de hered. instit. l. 1. infr. de curat. bon. dando. (4. Adde l. 5. l. 6. C. h. t. (5. l. 14. supr. de manumiss. testam. (6. §. 5. in pr. supr. tit. prox. (7. Adde l. 10. supr. tit. prox. (8. l. 45. §. 12. infr. de jure fisci. (9. l. 44. supr. de adquir. vel omitt. hered. (10. l. 24. infr. que in fraud. cred. (11. d. l. 24.

(12. l. 40. infr. de oblig. & act. (13. l. 49. infr. de verb. sign. (14. l. 4. supr. de usufr. Obst. l. 43. in fin. infr. de furt. (15. l. 9. §. 6. infr. h. t. (16. l. 15. §. 34. supr. de damno infect. (17. l. 14. in fin. infr. h. t. (18. in pr. supr. h. l. (19. §. 4. infr. h. l. (20. §. 6. in fin. infr. h. l. (21. l. 5. §. 1. & 2. supr. h. t.



quantum perciperetur, si locatus vel distractus fructus esset: nihil ei imputabitur. † Præstat autem per id tantum temporis, quo in possessionem fuit, vel ipse, vel jussu ejus alius, quoad inde de possessione discessum est; nam neque hoc imputatur creditori, cur in possessionem non venerit: neque illud, cur de possessione decesserit: cum voluntarium, & suum 22 potius negotium creditor gerat. † Estimatio autem fit, quantum interest ejus, qui expetit. §. 7. Hæ actiones neque temporariæ sunt: & tam heredibus, quam in heredes dabantur, ceterosque successores. §. 8. Si possessionis causa deterior facta esse dicitur dolo ejus, qui in possessionem missus fit: actio in eum ex dolo datur, quæ neque post annum, neque in heredes, ceterosque successores dabitur: cum ex delicto oriatur, pœnæque nomine concipiatur.

10. PAULUS (lib. 59. ad Edictum.)

Nisi quatenus ad eum pervenit.

11. ULPIANUS (lib. 62. ad Edictum.)

Heredi autem dabitur: quia & rei 23 continet persecutionem.

An postulatio unius aliis prodest. 1. De loco. 2. Si possideri non possit.

12. PAULUS (lib. 59. ad Edictum.)

Cum unus ex creditoribus postulat in bona debitoris se mitti: quæritur, utrum solus is, qui petit, possidere potest? an cum unus petit, & Prætor permittit, omnibus creditoribus aditus sit? & commodius dicitur, cum Prætor permiserit, non tam personæ solius petentis, quam creditoribus, & in rem permissum videri: quod & Labeo putat. Nec videbitur libera persona acquirere alii; quia nec sibi quicquam acquirit, cui Prætor permittit: sed aliquid ex ordine facit; & ideo ceteris quoque prodest. 24 † Plane si is postulaverit, qui creditor non est: minime dicendum est, vel eum, qui creditor est, possidere posse: quia nihil egit talis postulatio. † Aliter atque si creditor, cui permissum est possidere, postea recepit debitum suum: ceteri enim poterunt peragere bonorum venditionem. §. 1. Is, qui possidere jubetur, eo loco jussus videtur, cujus cura ad jubentem pertinet. §. 2. Si propter naturam rei, veluti si prædium inundatum sit, aut propter latronum potentiam, non potest possideri: recte 25 dicitur non esse, quod possideatur.

13. GAJUS (lib. 23. ad Edictum provinciale.)

Quamvis possessa non sint bona, quia forte nihil fuerit, quod possideatur, aut sine controversia non possideatur: creditor, qui in possessionem missus est, perinde habetur, ac si etiam possessa bona fuissent.

Si actiones periturae sunt. 1. De eo, quod restituendum est a creditore.

14. PAULUS (lib. 59. ad Edictum.)

Creditor in possessionem rerum debitoris missus, curator constituitur debet, si quædam actiones periturae sunt. §. 1. Datur in creditorem actio, qui in possessionem missus est, de eo, quod ex bonis debitoris ad eum pervenit: si nondum sit aliquid consecutus, actiones suas præstabit; datur autem in factum actio adversus eum: & omne 26, quod in actionem negotiorum gestorum veniret, si posset agi, restituendum a creditore.

De instrumentorum descriptione, recognitione, disputatione.

15. ULPIANUS (lib. 62. ad Edictum.)

Cum plures creditores in possessionem rerum debitoris mittantur, nec contumphantur rationes, uni hoc negotium a creditoribus esse dandum, quem major pars creditorum elegerit. (Ego) puto creditoribus instrumentorum etiam ἀναγραφῆς id est, descriptionem, facere: non ut describant ipsa corpora instrumentorum, sed quot sint, de qua re sint, subnotent sibi, & quasi inventarium faciant: quod etiam universorum facere eis erit permittendum. † Præterea nonnumquam Prætor causa cognita, etiam describere aliquid ex instrumentis creditoribus debet permittere, si qua idonea causa interveniat. §. 1. Utrum semel, an etiam sæpius recognitio, disputatio concedenda sit creditoribus, videamus? Er ait Labeo, amplius quam 27 semel non esse (concedendam): si quis tamen (inquit) juraverit, non calumniæ causa se postulare, neque habere, quæ dispunxerit: iterum ei faciendam potestatem ait, nec amplius 28 quam bis.

(22. §. 4. supr. h. l. (23. l. 4. in fin. supr. de damno infecto. l. 84. supr. ad leg. Falcid. (24. l. ult. C. h. t. l. 3. §. 2. supr. ut in possess. legat. (25. l. 30. §. 3. supr. de acquir. vel amitt. poss. (26. Vide tamen l. 11. supr. de negot. juncta l. 9. §. 5. supr. h. t. (27. Adde l. ult. §. 13. in fin. C. de jure deliber. (28. Immo vide l. 7. in fin. supr. de edendo.

Quis præferatur in emtione bonorum debitoris, ejusve bonis emendis.

16. GAJUS (lib. 24. ad Edictum provinciale.)

Cum bona veneunt debitoris, in comparisonem extranei, & ejus, qui creditor cognatusve sit, potior habetur creditor cognatusve 29: magis tamen creditor, quam cognatus: & inter creditores potior is, cui major 30 pecunia debebitur.

De privilegio funeraria, & dotis.

17. ULPIANUS (lib. 63. ad Edictum.)

Quæsitum est, utrum ita demum privilegium habet funeraria, si quis, cujus bona veneunt, funeratus sit: an etiam si proponas, alium esse funeratum? & hoc jure utimur, ut quicumque sit funeratus, (id est, sive is, cujus de bonis agitur, sive quid is 31 debuit, quod reddere eum, si viveret, funeraria actione cogi oporteret.) privilegio 32 locus sit. † Parvique referre dicamus, qua actione hic sumtus repetatur, funeraria, an familiæ exciscundæ, an qua aliadummodo sumtus funeris causa factus sit. † Quacumque igitur actione ob funeris sumtum utatur: etiam funerariam ei competere. † Quare si in stipulatum funeris impensa deducta est: dicendum est, locum esse privilegio, si modo quis non abjiciendi privilegii causa stipulatus est. §. 1. Si sponsa dedit dotem, & nuptiis renunciatum est: tamen ipsa dotem condicit, tamen æquum est, hanc 33 ad privilegium admitti, licet nullum matrimonium contractum est. † Idem puto dicendum, etiam si minor duodecim annis in domum quasi uxor deducta sit, licet nondum 34 uxor sit,

18. PAULUS (lib. 60. ad Edictum.)

Interest 35 enim Reipublicæ, & hanc solidum consequi, ut avarate permitte nubere possit.

1. De tutore, vel curatore, & de privilegiis pupillorum adultorum, & familiarum successorum adversus tutores, curatores, & similes.

19. ULPIANUS (lib. 63. ad Edictum.)

Dabimusque ex his causis ipsi mulieri privilegium. §. 1. Si quis, cum 36 tutor non esset, pro tutore negotia gessit: privilegio locum esse manifestum est; nec interest ipse debeat, qui gessit, sive heres ejus, ceterique successores; ipse autem pupillus habet privilegium, sed ejus successores 37 non 38 habent. † Sed æquissimum erit, ceteros quoque, quibus curatores quasi debilibus, vel prodigis dantur.

20. PAULUS (lib. 60. ad Edictum.)

Vel furdo, muto,

21. GAJUS (lib. 24. ad Edictum provinciale.)

Vel fatuo 39,

De curatore bonis dato.

22. ULPIANUS (lib. 63. ad Edictum.)

Idem privilegium competere. §. 1. Sed si bonis 40 curator datus sit, vel absentis, vel ab hostibus 41 capti, vel dum deliberant scripti heredes de adeunda hereditate: non oportebit privilegium dari; non enim in eadem causa est.

De eo, qui negotium impuberis gessit.

23. PAULUS (lib. 60. ad Edictum.)

Si negotium impuberis aliquis ex officio amicitia gesserit, debet, bonis ejus venditis, privilegium pupillo conservari, & ita accipi.

De curatore ventri dato. 1. De credito ob restitutionem adificiorum, & de privilegio creditoris, qui ad rem restituendam, aut redemptori domino mandante credidit. 2. De mensulariis. 3. De his, quorum pecunia ad creditores privilegiarios pervenit.

24. ULPIANUS (lib. 63. ad Edictum.)

Si ventri curator datus sit, nec patrus editus, privilegium cessabit. §. 1. Divus Marcus 42 ita edixit: Creditor, qui ob restitutionem 43 adificiorum crediderit, in pecunia, quæ credita erit, privilegium exigendi habebit: quod ad eum 44 quoque pertinet, qui redemptori, domino mandante, pecuniam subministravit. §. 2.

(29. l. 60. supr. de pact. (30. l. 8. supr. d. t. l. 14. in pr. supr. depositi. (31. l. 21. l. 31. §. 1. de religios. (32. l. 45. supr. d. t. (33. l. 74. supr. de jur. dot. (34. l. 9. supr. de sponsal. l. 4. supr. de ritu nupt. l. 32. §. 27. supr. de donat. inter vir. & uxor. (35. l. 2. supr. de jur. dot. (36. l. ult. supr. de tutel. & rationib. (37. l. 42. supr. de admin. & peric. tut. (38. Immo vide l. 18. in fin. l. 19. supr. de minor. (39. l. 15. §. 1. supr. de curat. furios. (40. l. 8. supr. tit. prox. (41. l. 6. §. fin. supr. d. tit. (42. l. 1. supr. in quib. caus. pign. (43. l. 25. supr. de reb. cred. l. 5. l. 6. supr. qui potior, in pign. l. 1. supr. de cessione. bon. (44. l. 1. supr. in quib. caus. pign.



In bonis mensularii 45 vendendis, post 46 privilegia potiore eorum causam esse placuit, qui pecunias apud mensam, fidem publicam secuti, deposuerunt. Sed enim qui depositis nummis usuras a mensulariis acceperunt, a ceteris creditoribus non separantur 47: & merito; aliud est enim credere, aliud deponere. † Si tamen nummi existent, vindicari eos posse puto a depositariis: & futurum eum, qui vindicat, ante privilegia §. 3. Eorum ratio prior est creditorum, quorum pecunia ad 48 creditores privilegiarios pervenit. *Pervenisse autem quemadmodum accipimus? utrum si statim profecta est ab inferioribus ad privilegiarios: an vero; & si per debitoris personam? hoc est, si ante ei numerata sit, & sic debitoris facta, creditori privilegiario numerata (est?)* Quod quidem potest benigne dici, si modo non post aliquod intervallum id factum sit.

*De contractu in fraudem creditorum.*  
25. IDEM (lib. 64. ad Edictum.)

**A**it Prator, Quod postea contractum erit, quam is, cujus bona venerint, consilium receperit fraudare, sciente eo, qui contractaverit: ne actio eo nomine detur.

*De credito in navem extruendam, vel instruendam, vel emendam.*

26. PAULUS (lib. 16. brevis Edicti.)

**Q**ui in navem 49 extruendam, vel instruendam credit, vel etiam emendam: privilegium habet.

*De eo, qui fideicommissi servandi causa in possessionem missus est.*

27. ULPIANUS (lib. 1. de Officio Consulit.)

**S**i magistratus fideicommissi servandi causa in possessionem miserint, dare arbitrum possunt ad 50 ea distrahenda, quæ mora deteriora futura sunt: ita ut pretium ex his redactum, apud fideicommissarium in causa depositi sit, donec de fideicommissio, quod ei debetur, constet.

*De pupillari substitutione.*

28. JAVOLENUS (lib. 1. Epistolarum.)

**P**aterfamilias impuberi filio, si ante pubertatem decessisset, substituit heredem: is filius paterna hereditate se abstinuit, ideoque bona patris venerint: postea filio hereditas obvenit, qua adita decessit. Quæro, cum Prator in ipsum pupillum, quamvis postea hereditas obvenisset, creditoribus tamen patris actionem non daret 51: an in substitutum creditoribus patris danda sit actio, cum ex bonis paternis, quæ scilicet ad creditores missos ad bona pertinent, nihil adquirat: & cum creditores nihil juris in bonis pupilli habuerint, eorumque nihil interfuerit, adiretur necne pupilli hereditas, cum ea bona admissa a substituto hereditate, ad creditores non pertinebant? Me illud maxime movet, quod præceptoribus tuis placet, unum 52 esse testamentum. Respondit: Quod Prator filio, qui a paterna hereditate se abstinet, præstat, ne, bonis patris ejus venditis, in eum actio detur, tamen si postea ei hereditas obvenit, creditoribus non reddat: idem in substituto filio herede servandum non 53 est: quoniam filii pudori 54 parcitur, ut potius patris, quam ejus bona veneant. Itaque in id, quod postea ei obvenit, actio creditoribus denegatur: quia id ex adventitio acquisitum est, non per patrem ad eum pervenit. † At cum substitutus filio hereditatem adiit, (postquam pupillus se paternæ miscuerit hereditati,) tunc hereditas, & patris, & filii una est, & in omni ære alieno, quod aut patris, aut filii fuerit, etiam invitus heres obligatur; & quemadmodum liberum ei non est post obligationem, ut non omnimodo, si non defenditur, ipsius bona veneant; ita ne separare quidem æs alienum patris, & filii poterit: quo casu efficietur, ut creditoribus in eum actio dari debeat. † Quod si substitutus heres hereditatem non adierit, creditoribus patris in id, quod pupillus reliquit, actio dari non debet: quoniam neque pupilli bona venire debent propter æs alienum patris, neque in bonis patris est, quod pupillus adquisiit.

*De statu in publico positis.*

29. PAULUS (lib. 5. ad Legem Juliam, & Papiam.)

**F**usidius refert, statuas in publico positas, bonis distractis ejus, cujus in honorem positæ sunt, non esse emtoris bonorum

(45. l. 7. §. 2. l. 8. supr. depositi (46. Obst. d. l. 7. §. 2. (47. Excip. l. 44. §. 1. supr. de admin. & peric. tut. (48. l. 2. supr. de cessione bon. (49. l. 34. infr. h. t. l. 5. l. 6. supr. qui potior. in pign. Nov. 97. c. 3. (50. l. 5. §. 22. vers. quinimo. supr. ut in possess. legat. (51. l. 4. C. arb. tutel. (52. l. 20. in pr. supr. de vulg. & pupill. substit. (53. Vide tamen l. 4. in pr. supr. de acquir. et mitt. hered. (54. Fac. §. 1. in fin. Inst. quib. ex caus. manumitt.

ejus: sed aut publicas 55, si ornandi municipii causa positæ sint; aut ejus, cujus in honorem positæ sint; & nullo modo eas detrahi posse.

*Si bona negentur jure venisse.*

30. PAPIRIUS JUSTUS (lib. 1. de Constitutionibus.)

**I**mperatores Antoninus, & Verus Augusti rescripserunt eos, qui bona sua negant jure venisse, præjudicio experiri debere, & frustra 56 Principem desiderare rescindi venditionem.

*Si heres suspectus esse dicatur.*

31. ULPIANUS (lib. 2. de omnibus Tribunalibus.)

**S**i creditores heredem suspectum putent, satisfactionem exigere possunt pro suo debito reddendo; cujus rei gratia cognoscere Prætorem oportet: nec statim eum satisfactionis necessitati subjicere debet: nisi causa cognita constiterit, prospici debere his, qui suspectum eum postulaverunt. §. 1. Sed suspectus heres non iisdem modis, quibus suspectus tutor æstimatur: si quidem tutorem non 57 facultates, sed fraudulenta in rebus pupillaribus, sed callida conversatio suspectum commendat; heredem vero solæ facultates. §. 2. Plane in recenti aditæ hereditatis audiendi erunt, qui suspectum postulant: ceterum si probentur passi eum in hereditate morari, nec quicquam possint objicere criminis, quasi dolose versato eo, non debet post multum temporis ad hanc necessitatem compelli. §. 3. Quod si (quasi) suspectus satisfacere jussus, decreto Prætoris non obtemperaverit: tunc bona hereditatis possidere, venumque dari, ex Edicto suo permittere jubebit. §. 4. Plane, si doceatur, nihil ex bonis alienasse, nec sit, quod ei iuste præter paupertatem objiciatur: contentus esse Prator debet, ut jubeat eum nihil minuire. §. 5. Quod si neq inopia laborantem eum, creditores ostendere poterint, injuriarum 58 actione ei tenebuntur.

*De privilegiis creditorum.*

32. PAULUS (libro sing. Regularum.)

**P**rivilegia non ex tempore æstimantur, sed ex causa; & si ejusdem tituli fuerint, concurrunt, licet diversitates temporis in his fuerint.

*De alendo debitore. 1. Si debitor defendatur, aut satisfacet.*

33. ULPIANUS (lib. 3. Regularum.)

**S**i pupillus ex contractu suo non defendatur, ideoque bona ejus creditores possidere cœperint: diminutio ex his bonis fieri debet, vendendi 59 pupilli causa. §. 1. Defendere debitorem sicut antequam bona ejus possiderentur, licet; ita post bonorum quoque possessionem ejus, sive ipse (sui) 60, sive alius defensionem ejus suscipiat, debet satisfacere: ut satisfactione interposita iudicium accipiatur, & a possessione discedatur.

*De eo, qui in navem fabricandam, vel emendam, vel instruendam, vel quoquo modo credit; & de eo, qui navem vendidit.*

34. MARCIANUS (lib. 5. Regularum.)

**Q**uod quis navis 61 fabricandæ, (vel emendæ, vel armandæ,) vel instruendæ causa, vel quoquo modo crediderit, vel ob navem venditam petat, habet privilegium post fiscum 62.

*De absente Reipubl. causa.*

35. IDEM (libro singul. ad Formulam hypothecariam.)

**E**um, qui in possessionem missus sit ejus, qui Reipublicæ causa absuit, si apparuerit, eum dolo malo Reipublicæ causa abesse: jure in possessione esse placet, donec 63 solidum solvatur. † Eum autem, qui rerum ejus, qui sine dolo malo Reipublicæ causa absuit, in possessionem missus sit, pignus non contrahere, & ideo discedere oportere de possessione.

*De latitatione.*

36. ULPIANUS. (lib. 45. ad Sabinum.)

**E**um, qui circa columnas 64 se occultat, ut creditorem evitet; latitare placet. Nam & eum, qui recedit, hoc est, (ut) subterfugit, ne secum aliqua actio moveatur, latitare placet. † Tam & qui urbe profugit, utique fraudandi causa: nec (enim) interest, quod attinet ad latitandum, utrum 65 quis profugerit, an veteris Romæ agens copiam sui non facit.

*De Lege Antiochena.*

37. PAPINIANUS (lib. 10. Responsoform.)

**A**ntiochenium Coele-Syriæ civitati, quod Lege sua privilegium in bonis defuncti debitoris accepit, jus persequendi pignoris durare constitit.

(55. l. 41. supr. de acquir. rer. dom. l. 11. §. 1. infr. quod vi aut clam. l. 23. infr. de except. (56. l. un. v. nam in suis C. de thesaur. (57. l. 8. supr. de suspect. (58. l. in fin. supr. qui sat. cog. l. 19. infr. de injur. (59. l. ult. in infr. h. t. (60. l. 63. supr. de jud. (61. l. 26. supr. h. t. (62. Exc. l. 17. infr. de jur. fisci. (63. l. 11. §. 1. supr. de pig. (64. l. 7. §. 13. supr. quib. ex caus. in poss. (65. d. l. 7. §. 13.



*De concubina, & liberis naturalibus. 1. De Republica.*

38. PAULUS (lib. 1. Sententiarum.)

Bonis venditis excipiuntur concubina, & liberi naturales. 66  
§. 1. Respublica creditrix omnibus chirographariis creditoribus præfertur.

*De alendo debitore. 1. De captis.*

39. IDEM (lib. 5. Sententiarum.)

Pupillus si non defendatur, in possessione creditoribus constitutus, minoribus ex his usque ad pubertatem alimenta præstanda sunt. §. 1. Ejus, qui ab hostibus captus est, bona venire non possunt, quamdiu revertatur.

T I T. V I.

DE SEPARATIONIBUS I.

*De decreto. 1. De creditoribus hereditariis, vel heredis. 3. De re obligata. 4. De fisco. De municipibus. 5. De creditoribus heredis. 6. De hereditate fideicommissa. 7. De pupillari substitutione. 8. De creditoribus defuncti heredis proximi, & ejus, qui heredi successit. 9. De creditoribus castrensibus, & paganis. 10. De his, qui nomen heredis secuti sunt. 12. De commixtione bonorum hereditariorum, & heredis. 13. Intra quod tempus postulatur separatio. 14. Cujus sit hæc ratio. 15. De his, qui nomen heredis secuti sunt. 17. De effectu separationis. 18. De herede necessario.*

1. ULPIANUS (lib. 64. ad Edictum.)

Sciendum est, separationem solere impetrari decreto Prætoris. §. 1. Solet autem separatio permitti creditoribus ex his causis; ut puta debitorem quis Sejum habuit, hic decessit, heres ei existit Titius: hic non est solvendo, patitur bonorum venditionem; creditores Seji dicunt, bona Seji sufficere sibi, creditores Titii contentos esse debere bonis Titii, & sic quasi duorum fieri bonorum venditionem; fieri enim potest, ut Sejus quidem solvendo fuerit, potueritque (satis) creditoribus suis, vel ita semel, & si non in assem, in aliquid tamen satisfacere: admissis autem commixtisque creditoribus Titii, minus sint consecuturi, quia ille non est solvendo, aut minus consequantur, quia plures sunt: (hic) est igitur æquissimum, creditores Seji desiderantes separationem, audiri: impetrareque a Prætoris, ut separatim quantum cuiusque creditoribus præstetur. §. 2. Ex contrario autem creditores Titii non impetrabunt separationem: nam licet alicui adijciendo sibi creditorem, creditoris sui facere deteriore conditionem. † At qui (igitur) adiit hereditatem debitoris mei, non faciet meam deteriore conditionem adeundo: qua licet mihi, separationem impetrare; suos vero creditores oneravit, dum adiit hereditatem, quæ solvendo non est: nec poterunt creditores ejus separationem impetrare. §. 3. Sciendum est autem, etiam si obligata res esse proponatur ab herede jure pignoris, vel hypotheca, attamen si hereditaria fuit, jure separationis hypothecario creditori potiorum esse eum, qui separationem impetravit: & ita Severus, & Antoninus rescripserunt. §. 4. Sed etiam adversus fiscum & municipes impetraretur separatio. §. 5. Quæsitum est, an interdum etiam heredis creditores possunt separationem impetrare, si forte ille in fraudem ipsorum adierit hereditatem? Sed nullum remedium est proditum; sibi enim imputent, qui cum tali contraxerunt: nisi si extra ordinem putamus Prætoris adversas calliditatem ejus subvenire, qui valem fraudem commentus est; quod non facile admissum est. §. 6. Sed si quis suspectam hereditatem dicens, compulsus fuerit adire, & restituere hereditatem, deinde non sit, cui restituat, ex quibus casibus solet hoc evenire: & ipsi quidem desideranti succurri sibi adversus creditores hereditarios, subveniemus: hoc & D. Pius rescripsit, ut perinde testatoris bona viderent, atque si adita hereditas non fuisset. † Creditoribus quoque hujusmodi heredis desiderantibus, hoc idem præstandum puto, licet ipse non desideravit: ut quasi separatio quædam præstetur. §. 7. Item videamus, si quis heres parenti exstiterit, cum esset impubes: deinde intra pubertatem decesserit, & substituti bona veneant, qui impuberis hereditatem adiit: an patris creditores possint separationem impetrare? Et puto posse; hoc amplius puto, etiam impuberis creditores posse separationem adversus creditores (heredis) ejus impetrare. §. 8. Secundum hæc videamus, si Primus Secundum heredem scripserit, Secundus Tertium, &

Tertii bona veneant: qui creditores possint separationem impetrare? Et puto, si quidem Primi creditores petant, utique audientes, & adversus Secundi, & adversus Tertii creditores; si vero Secundi creditores petant, adversus Tertii utique eos impetrare posse, adversus Primi autem non posse. In summa, Primi quidem creditores adversus omnes impetrare possunt separationem; Secundi creditores adversus Primi non possunt, adversus Tertii possunt. §. 9. Si filiifamilias bona veneant, qui castrense peculium habet: an separatio fiat inter castrenses creditores ceterosque, videamus? Simul ergo admittentur, dummodo, si qui cum eo contraxerunt, ante quam militaret, fortasse debeant separari: quod puto probandum: ergo qui ante contraxerunt, si bona castrensia distraherentur, non possunt venire cum castrensibus creditoribus. † Item si quid in rem patris verum est, forte poterit, & creditori contradicere castrense peculium inquietet, cum possit potius cum patre experiri. §. 10. Illud sciendum est, eos demum creditores posse impetrare separationem, qui non novandi animo ab herede stipulati sunt: ceterum si eum hoc animo secuti sunt, amiserunt separationis commodum: quippe cum secuti sunt nomen heredis, nec possunt jam se ab eo separare, qui quodammodo eum elegerunt. † Sed & si usuras ab eo ea mente, quasi eum eligendo exegerunt: idem erit probandum. §. 11. Item quæritur, si satis acceperunt ab eo, an impetrent separationem? Et non puro: hi enim secuti sunt eum forte, quem movebit. † Quid ergo, si non satis idoneum acceperunt? Et sibi imputent, cur minus idoneos fidejussores accipiebant. §. 12. Præterea sciendum est, posteaquam bona hereditaria bonis heredis mixta sunt, non posse impetrari separationem: confusis enim bonis & unitis, separatio impetrari non poterit. † Quid ergo, si prædia existent, vel mancipia, vel pecora, vel aliud quod separari potest? Hic utique poterit impetrari separatio; nec ferendus est, qui causatur bona contributa, cum prædia contribui non possint: nisi ita conjunctæ possessiones (sunt) & permixtæ propriis, ut impossibilem separationem effecerint; quod quidem perraro contingere potest. §. 13. Quod dicitur, post multum temporis separationem impetrari non posse, ita erit accipiendum, ut ultra quinquennium post aditionem numerandum separatio non postuletur. §. 14. De his autem omnibus an admittenda separatio sit, necne, Prætoris erit vel Præsidis ratio: nullius alterius; hoc est, ejus, qui separationem indulturus est. §. 15. Si quis pignus ab herede acceperit, non est ei concedenda separatio, quasi cum secutus sit; neque enim ferendus est, qui qualiter qualiter, eligentis tamen mente, heredis personam secutus est. §. 16. Quæsitum est, si forte sint plures creditores, quidam secuti heredem, quidam non secuti; & hi, qui heredem secuti non sunt, impetraverint separationem: an eos secum admittant, qui secuti sunt? Et puto, nihil eis prodesse: hos enim cum creditoribus heredis numerandos. §. 17. Item sciendum est, vulgo placere, creditores quidem heredis, si quid superfuerit ex bonis testatoris, posse habere in suum debitum: creditores vero testatoris ex bonis heredis nihil. 11 Cujus rei ratio illa est, quod, qui impetravit separationem, sibi debet imputare suam facilitatem, si, cum essent bona idonea heredis, illi maluerint bona potius defuncti sibi separari: heredis autem creditoribus hoc imputari non possit. † At si creditores defuncti desiderent, ut etiam in bonis heredis substituatur; non sunt audiendi: separatio enim, quam ipsi petierunt, eos ab istis bonis separavit. Si tamen temere separationem petierunt creditores defuncti, impetrare veniam possunt, justissima scilicet ignorantia causa allegata. §. 18. Item sciendum est, necessarium heredem servum cum libertate institutum impetrare posse separationem: scilicet ut, si non attigerit bona patroni, in ea causa sit, ut ei, quicquid postea adquisierit, separetur: sed & si quid ei a testatore deberetur.

*De venditione hereditatis, ceterisque per heredem medio tempore gestis.*

2. PAPINIANUS (lib. 25. Quæstionum.)

Ab herede vendita hereditate, separatio frustra desiderabitur: utique si nulla fraudis incurrat suspicio. Nam quæ bona fide medio tempore per heredem gesta sunt, rata conservari solent.

(66. Fac. l. 2. sup. de pignorib. (67. l. 33. in pr. sup. h. t. (68. l. 6. §. ult. sup. quib. ex caus. in poss.

TIT. VI. (1. Lib. 7. C. 72. (2. §. 14. infr. h. l. (3. Excip. §. 10. §. 11. §. 12. §. 13. h. l. & l. 2. infr. h. t. (4. l. 7. in fin. C. de bon. aud. et. judic. (5. immo vide l. 74. infr. de reg. jur.

(6. l. 21. in fin. sup. quod met. caus. (7. l. 10. §. 1. sup. qui satisd. cog. l. 26. §. 2. sup. mandati l. 3. in fin. infr. de fidejuss. (8. In princ. sup. hic l. 2. C. de bon. aud. et. judic. (9. l. ult. infr. h. t. dict. l. 2. (10. l. 3. in fin. l. 5. infr. h. t. (11. dict. l. 5. immo vide dict. l. 3. §. fin. (12. Adde §. 2. in fin. Inst. quib. mod. re contrah.



*Si debitor fidejussori successerit. 1. De effectu separationis.*

3. IDEM ( lib. 27. Quæstionum. )

Debitor fidejussori heres exstitit, ejusque bona venierunt: quamvis obligatio fidejussionis extincta sit, nihilominus separatio impetrabitur, petente eo, cui fidejussor fuerat obligatus, siue solus sit hereditarius creditor, siue plures; neque enim ratio juris, (quæ) causam fidejussionis propter principalem obligationem, quæ major fuit, exclusit, damno debet adficere creditorem, qui sibi diligenter prospexerat. §. 1. Quid ergo, si bonis fidejussoris separatio solidum ex hereditate stipulator consequi non possit? utrum portio cum ceteris heredis creditoribus ei quaerenda erit? an contentus esse debeat bonis, quæ separari maluit: sed cum stipulator iste, non adita fidejussoris a reo hereditate, bonis fidejussoris venditis in residuum promisceri debitoris creditoribus potuerit: ratio non patitur, eum in proposito summoveri. §. 2. Sed in quolibet alio creditore, qui separationem impetravit, probari commodius est, ut si solidum ex hereditate servari non possit, ita demum aliquid ex bonis heredis ferat, si proprii creditores heredis fuerint dimissi: quod sine dubio admittendum est circa creditores heredis, dimissis hereditariis.

*De creditoribus in diem, vel sub conditione. 1. De legatariis.*

4. IDEM ( lib. 12. Responsorum. )

Creditoribus, quibus ex die vel sub conditione debetur, & propter hoc nondum pecuniam petere possunt, æque separatio dabitur: quoniam & ipsis cautione communi consulitur. §. 1. Legatarios 14 autem in ea tantum parte, quæ de bonis servari potuit, habere 15 pignoris causam, convenit.

*De effectu separationis.*

5. PAULUS ( lib. 13. Quæstionum. )

Si creditores hereditarii separationem bonorum impetraverunt, & inveniatur non idonea hereditas, heres autem idoneus: non 16 poterunt reverti ad heredem; sed eo quod semel postulaverunt, stare debent. Sed si post impetratam separationem aliquid heres adquisierit, si quidem ex hereditate: admitti debent ad id, quod acquisitum est illis, qui separationem impetraverunt. Sed si illis satisfactum fuerit: quod superest 17, tribuetur propriis heredis creditoribus. † At si ex alia causa heres adquisierit, non admittentur hereditarii creditores. Quod si proprii ad solidum pervenerunt: id, quod supererit, tribuendum hereditariis quidam 18 putant: mihi autem id non videtur: cum enim separationem petierunt, recesserunt a persona heredis, & bona secuti sunt, & quasi defuncti bona vendiderunt, quæ augmenta non possunt recipere. † Idemque existimo dicendum, etiam si circa separationem bonorum decepti, minus consecuti sunt, quam proprii heredis creditores. Proprii autem heredis creditores habent propria ejus bona, & personam, quæ potest, donec vivit, adquirere.

*De creditoribus testatoris, & legatariis. 1. de patrono.*

6. JULIANUS ( lib. 46. Digestorum. )

Quoties heredis bona solvendo non sunt, non solum creditores testatoris, sed etiam eos 19, quibus legatum fuerit, impetrare bonorum separationem, æquum est: ita ut, cum in creditoribus solidum acquisitum fuerit; legatariis vel solidum, vel portio quaeratur. §. 1. Si liberta heres instituta, bonorum possessionem secundum tabulas petiisset ejus, qui solvendo non erat: quaesitum est, an bona ejus separari ab hereditariis debent? Respondit, non est iniquum succurri patrono, ne oneraretur ære alieno, quod liberta retinendo bonorum possessionem secundum tabulas contraxerit.

*De his, qui iudicium dictaverunt heredi.*

7. MARCIANUS ( lib. 2. Regularum. )

Qui iudicium 20 dictaverunt heredi, separationem quasi hereditarii possunt impetrare: quia ex necessitate hoc fecerunt.

## TIT. VII.

### DE CURATORE BONIS DANDO.

*De conditione potestativa, 1. Vel casuali. 2. De ære alieno quod ex pœna crescit.*

1. PAULUS ( lib. 57. ad Edictum. )

Si quis sub conditione heres institutus est, cogendus est conditioni parere, si potest: aut si responderit, se non aditurum,

(13. Obft. l. 1. §. 17. supr. l. 5. infr. h. t. (14. l. 6. in pr. infr. eod. (15. l. 1. l. 2. C. comm. de legat. §. 2. ver. nostra. Inst. de legat. (16. l. 1. §. 17. supr. h. t. (17. d. l. 1. §. 17. (18. l. 3. §. ult. supr. eod. (19. l. 4. §. 1. supr. eod. (20. l. 1. §. 15. supr. eod.

TOM. I.

etiam si conditio exstiterit, vendenda erunt bona defuncti. §. 1. Quod si nihil facere potest, curator bonis constituendus erit, aut bona vendenda. §. 2. Sed si grave æs alienum sit, quod ex pœna crescat, per curatorem solvendum æs alienum; sicuti cum venter 1 in possessione sit, aut pupillus heres tutorem non habeat, decerni solet.

*De curatore constituendo. 1. De auctoritate curatoris. 2. De pluribus curatoribus. 3. De invito. 4. De non creditore.*

5. De tribus curatoribus.

2. ULPIANUS ( lib. 65. ad Edictum. )

De curatore constituendo hoc jure utimur, ut Prætor adeatur, isque curatorem, curatoresque constituat ex consensu majoris 2 partis creditorum: vel Præses Provinciæ, si bona distrahenda in Provincia sunt. §. 1. Quæque per eum eolve, qui ita creatus, creative essent, acta, facta, gesta que sunt, rata habebuntur. Eisque actiones 3, & in eos, utiles competunt. Et si quem curatores mitterent ad agendum, vel defendendum, uti ius esset, nec ab eo satis, neque de rato, neque judicatum solvi, nomine ejus, cujus bona veneant, exigetur: sed nomine ipsius curatoris, qui eum misit. §. 2. Si plures autem constituentur curatores, Celsus ait, in solidum eos & agere 4 & conveniri, non pro portionibus. † Quod si per regiones fuerint constituti curatores, unus forte rei Italicæ, alius in Provincia: puto, regiones eos suas conservare 5 debere. §. 3. Quæritur, an invitus curator fieri potest. Et Cassius scribit: neminem invitum 6 cogendum fieri bonorum curatorem: quod verius est; voluntarius itaque quaerendus est: nisi & magna necessitate, & Imperatoris arbitrio hoc procedat, ut & invitus crearetur. §. 4. Nec 7 omnimodo creditorem esse oportet eum, qui curator constituitur: sed possunt & non creditores. §. 5. Si tres curatores fuerint, & unus ex his nihil attigerit: an in eum, qui nihil tetigit, actio danda est? & Cassius existimat modum actori non debere constitui, posseque eum, cum quo vult, experiri: puto Cassii sententiam veriolem: spectandum enim, quid redactum est, non quid ad curatorem unum pervenerit; & ita utimur, nisi invitus factus est; nam si ita est, dicendum, non eum conveniendum.

3. CELSUS ( lib. 24. Digestorum. )

Si plures ejusdem bonorum curatores facti sunt, in quem eorum vult actor, in solidum ei datur actio 8, tamquam quivis eorum in solidum ager.

*De bonis distractis.*

4. PAPIRIUS JUSTUS ( lib. 1. de Constitutionibus. )

Imperatores Antoninus & Verus Augusti rescripserunt, bonis, per curatorem 9 ex Senatusconsulto distractis, nullam actionem 10 ex ante gesto fraudatori competere.

*Si post curatorem electum alius creditor exstiterit.*

5. JULIANUS ( lib. 47. Digestorum. )

Si debitor foro cesserit, & creditores privato consilio coierint, & elegerint unum, per quem bona distrahantur, & portio ipsis, quæ ex redacto fieret, solveretur: mox 11 exstiterit alius, qui se creditorem dicat; nullam quidem actionem adversus curatorem habebit, sed bona debitoris una cum curatore vendere poterit; ita ut quæ a curatore, & a creditore ex bonis contrahantur, omnibus pro portione præstentur.

## TIT. VIII.

### QUÆ IN FRAUDEM CREDITORUM FACTA SUNT, UT RESTITUANTUR I.

*Edictum de actione Pauliana. 1. Summa superscripti Edicti.*

2. De quocumque fraudis causa facta, vel omisso.

1. ULPIANUS ( lib. 66. ad Edictum. )

Ait Prætor, Quæ fraudationis 2 causa gesta 3 erunt, cum eo, quæ fraudem non 4 ignoraverit, de his curatori bonorum, vel ei, cui de ea re actionem dare oportebit, intra annum 5, quo experiundæ potestas fuerit, actionem dabo: idque etiam adversus 6 ipsum, quæ fraudem fecit, servabo. §. 1. Necessario Prætor hoc Edictum pro-

TIT. VII. (1. l. 1. sup. de ventre in poss. (2. Nov. 120. c. 6. §. 1. (3. l. 3. infr. h. t. (4. d. l. 3. (5. Vide tamen l. 47. in fin. supr. de admin. & peric. tut. (6. l. 4. C. de bon. auct. judic. l. 8. §. 1. sup. de procurat. (7. l. 9. in pr. sup. quib. ex caus. in poss. (8. l. 2. §. 2. sup. h. t. (9. l. 5. sup. de curat. furios. (10. l. 40. supr. de oper. libert. (11. l. 22. §. 10. sup. mandati.

TIT. VIII. (1. Lib. 7. C. ult. §. 6. Inst. de action. l. 28. §. 4. sup. de usuris. (2. §. 1. infr. h. l. (3. §. 2. infr. hic. l. 2. l. 3. & seqq. infr. h. t. (4. l. 6. §. 8. l. 10. infr. eod. l. 5. C. de revoc. his, quæ in fraud. cred. (5. d. l. 10. l. ult. C. de revoc. his, quæ in fraud. cred. (6. l. ult. in fin. infr. h. t.

B b b

posuit;



posuit: quo Edicto consuluit creditoribus, revocando ea, quæcumque in fraudem eorum alienata sunt. §. 2. Ait ergo Prætor: *Quæ fraudationis causa gesta erunt*; hæc verba generalia sunt, & continent in se omnem omnino in fraudem factam vel alienationem, vel quemcumque contractum. † Quodcumque igitur fraudis causa factum est, videtur his verbis revocari, quæcumque fuerit: nam late ista verba patent. Sive ergo rem alienavit, sive acceptilatione 7, vel pacto 8 aliquem liberavit,

2. IDEM (lib. 73 ad Edictum.)

Idem erit probandum. † Et si pignora 9 liberet, vel quem alium in fraudem creditorum præponat 10;

3. IDEM (lib. 66. ad Edictum.)

Vel ei præbuit exceptionem, sive se 11 obligavit fraudandorum creditorum causa, sive numeravit 12 pecuniam, vel quodcumque aliud fecit in fraudem creditorum: palam est, Edictum locum habere. §. 1. Gesta fraudationis causa accipere debemus, non solum ea, quæ contrahens gesserit aliquis; verum etiam, si forte data opera ad iudicium non adfuit, vel litem 13 mori patiat, vel a debitore non petit, ut tempore 14 liberetur, aut usumfructum, vel servitutem 15 amittit. §. 2. Et qui aliquid fecit, ut desinat habere, quod habet: ad hoc Edictum pertinet.

4. PAULUS (lib. 68. ad Edictum.)

In fraudem facere videri etiam eum, qui 16 non facit, quod debet facere, intelligendum est: id est, si non utatur servitutibus 17.

*De re habita pro derelicto.*

5. GAJUS (lib. 26. ad Edictum provinciale.)

Sed etsi rem suam pro derelicto 18 habuerit, ut quis eam suam faciat.

*De lucro amisso. 5. De alienatione servi instituti. 6. De eo, qui suum recipit. 8. De scientia, vel ignorantia recipientis. 9. De consensu creditorum. 10. De pupillo. 11. De donatione. 12. De servo. 13. De legatis. 14. De anno utili.*

6. ULPIANUS (lib. 66. ad Edictum.)

Quod autem, cum possit aliquid querere, non id agit, ut adquirat; ad (hoc) Edictum non 19 pertinet 20; pertinet (enim) Edictum ad deminuentes patrimonium suum, non ad eos, qui id agunt, ne locupletentur. §. 1. Unde, si quis ideo conditioni non paret, ne committatur stipulatio: in ea conditione est, ne faciat huic Edicto locum. §. 2. Proinde & qui repudiavit 21 hereditatem, vel legitimam, vel testamentariam: non est in ea causa, ut huic Edicto locum faciat: noluit enim acquirere, non suum (proprium) patrimonium diminuit. §. 3. Simili modo dicendum est, & si filium suum emancipavit, ut suo arbitrio adeat hereditatem: cessare hoc Edictum. §. 4. Sed & illud probandum, si legatum repudiavit 22, cessare Edictum: quod Julianus quoque scribit. §. 5. Si servum suum heredem institutum alienavit, ut jussu emtoris adeat: si quidem in venditione nulla fraus est, sed in hereditate sit: cessat Edictum: quia licuit ei etiam repudiare hereditatem; at si in ipsa servi alienatione fraus est, revocabitur: quemadmodum si eum in fraudem manumisisset. §. 6. Apud Labeonem scriptum est, eum, qui suum 23 recipiat, nullam videri fraudem facere, hoc est, eum, qui quod sibi debetur, receperat; eum enim, quem Prætor invitum solvere cogat, impune non solvere, iniquum esse: totum enim hoc Edictum ad contractus pertinere, in quibus se Prætor non interponit; utputa 24 pignora, venditionesque. §. 7. Sciendum, Julianum scribere, eoque jure nos uti, ut qui debitam 25 pecuniam recepit, antequam bona debitoris possideantur, quamvis sciens prudensque solvendo non esse recipiat, non timere hoc Edictum: sibi enim vigilavit 26. Qui vero post bona possessa debitum suum recepit, hunc in portionem vocandum, exæquandumque ceteris creditoribus: neque enim debuit præripere ceteris post bona possessa, cum iam par conditio omnium creditorum facta esset. §. 8. Hoc Edictum enim

(7.l.10.§.14.infr.eod. (8.l.17.infr.eod. (9.l.18.infr.eod. (10.l.10.§.12.l.17.in fin.infr.eod. (11.l.1.§.18.§.19.supr. si quid in fraud. patron. (12.d.l.1.§.17. (13.d.l.1.§.7. (14.arg.l.28.in pr.infr. de verb. signific. (15.d.l.1.§.21.in fin.l.4.infr.h.t. (16.l.121.infr. de regul. jur. (17.l.3.§.1.supr.h.t.l.28.in pr.infr. de verb. sign. (18.l.5.§.1.supra. pro derelict. (19.Vide tamen l.1.§.pen. sup. si quis omnia causa testament. (20.l.28.in pr.infr. de verbor. significat. l.134.in pr.infr. de regul. ur.l.1.§.6.supr. si quid in fraud. patron. (21.§.4.infr.h.l. (22.§.2.sup. h.l. (23.l.26.supr. de damno infect. (24.l.10.§.13.infr.h.t. (25.§.6. supr. hic. l.10.§.16.l.25.§.1.in fin.infr.eod. (26.l.24.in fin.infr.eod.

coerces, qui sciens 27 cum in fraudem creditorum hoc facere, suscepit, quod in fraudem creditorum fiebat: quære si quid in fraudem creditorum factum sit, si 28 tamen is, qui cepit, ignoravit, cessare videntur verba Edicti. §. 9. Præterea illud sciendum est, eum, qui consentientibus creditoribus aliquid a fraudatore vel emit, vel stipulatus est, vel quid aliud contraxit: non videri in fraudem creditorum fecisse: nemo enim videtur fraudare 29 eos, qui sciunt, & consentiunt. §. 10. si quid cum pupillo gestum sit in fraudem creditorum, Labeo ait, omnimodo revocandum, si fraudati sint creditores; quia pupilli ignorantia, quæ per ætatem contingit, non debet esse captiosa creditoribus, & ipsi lucrosa: eoque jure utimur. §. 11. Simili modo dicimus, & si cui donatum est, non esse querendum, an sciente eo, cui donatum, gestum sit: sed hoc tantum, an fraudentur creditores: nec videtur injuria affici is, qui ignoravit: cum lucrum extorqueatur, non damnum infligatur. † in hoc tamen, qui ignorantes ab eo, qui solvendo non sit, liberalitatem acceperunt, hætenus actio erit danda, quatenus 30 locupretiores facti sunt; ultra non. §. 12. Simili modo queritur: si servus ab eo, qui solvendo non sit, ignorante domino, ipse sciens rem acceperit: an dominus teneretur? & ait Labeo, hætenus eum teneri, ut restituat, quod ad se pervenit: aut dumtaxat 31 de peculio damnetur, vel, si quid in rem ejus versum est. Eadem in filiosfamilias probanda sunt. † Sed si dominus sit, suo nomine convenietur. §. 13. Item si necessarius heres legata præstiterit, deinde ejus bona venierint: Proculus ait, etiam si ignoraverint legatarii, tamen utilem actionem dandam; quod nequaquam dubium est. §. 14. Hujus actionis annum computamus utilem, quo experiundi potestas fuit, ex die 32 factæ venditionis.

*De venditione.*

7. PAULUS (lib. 62. ad Edictum.)

Si debitor in fraudem creditorum minore pretio fundum scienti emtori vendiderit; deinde hi, quibus de revocando eo actio datur, eum petant: quæsitum est, an pretium restituere debeant? Proculus existimat, omnimodo restituendum esse fundum, etiam 33 si pretium non solvatur: & rescriptum est secundum Proculi sententiam.

8. VENULEJUS SATURNINUS (lib. 6. Interdictorum.)

Ex his colligi potest, ne quidem portionem emtori reddendam ex pretio; posse tamen dici, eam rem apud arbitrum ex causa animadvertendam: ut si nummi soluti in bonis exstent, jubeat eos reddi: quia ea ratione nemo fraudetur.

9. PAULUS (lib. 62. ad Edictum.)

(Is), qui a debitore, cujus bona possessa sunt, sciens rem emit, iterum alii bona fide ementi vendidit: quæsitum est, an secundus emtor conveniri potest? Sed verior est Sabini sententia: bona fide emtorem non teneri: quia dolus ei dumtaxat nocere 34 debeat, qui eum admittit: quemadmodum diximus non teneri eum, si ab ipso debitore ignorans emerit; is autem, qui dolo malo emit, bona fide autem ementi vendidit, in solidum pretium rei, quod accepit, tenebitur.

*Verba Prætoris. Interdictum fraudatorium. Residuum de actione Pauliana. 1. De eventu. 2. De scientia, & fraude recipientis. 9. Si ejus qui fraudatori successit, bona venierint. 10. De in integrum restitutione. 11. Si impuberis, qui patri successerat, bona veniant. 12. De solutione representata. 13. De pignore. 14. De dote. 15. De usufructu. De annua stipulatione. 16. De eo, qui pecuniam fugienti debitori abstulit. 17. De additione bonorum libertatum conservandarum causa. 18. De anno utili. 19. De ipsa re & accessionibus. 23. De obligatione conditionali, vel in diem. 24. De anno elapso. 25. De successoribus.*

10. ULPIANUS (lib. 73. ad Edictum.)

Ait Prætor, *Quæ Lucius Titius fraudandi causa, sciente te in bonis, quibus de (ea re) agitur, fecit: ea illis, si eo nomine quo de agitur, actio ei ex Edicto meo competere, esse oportet: & si non plus quam annus est, cum de ea re, qua de agitur, experiundi potestas est: restituas. Interdum causa cognita, etsi scientia non sit, in factum actionem permittam.* §. 1. Ita demum revocatur, quod fraudandorum creditorum causa factum est, si eventum fraus habuit; scilicet si hi creditores, quorum fraudandorum causa fecit, bona ipsius vendiderunt. † Ceterum si illos dimisit, quorum

(27.l.1.in pr. sup. eod. (28.l.25.§.1.circa fin.infr.eod. (29.l.11.sup. si quid in fraud. patron. (30.l.5.C.h.t. (31.l.12.in fin.infr.eod. (32.l.10.§.18.infr.eod. (33. Adde l.32.§.4. sup. de admin. & peric. tur. Vide tamen l.8.infr.h.t. (34.l.155.in pr.infr. de reg. jur.

fraudandorum



fraudandorum causa fecit, & alios sortitus est: si quidem simpliciter dimissis prioribus, quos fraudare voluit, alios 35 postea sortitus est: cessat revocatio: si 36 autem horum pecunia, quos fraudare noluit, priores dimisit, quos fraudare voluit: Marcellus dicit, revocationi locum fore; *secundum hanc distinctionem*, & ab Imperatore Severo, & Antonino rescriptum est: eoque jure utimur. §. 2. Quod ait Prætor, *Sciente*, sic accipimus, te conscio, & fraudem participante: non enim, si 37 simpliciter scio, illum creditores habere, hoc sufficit ad contendendum, teneri eum in factum actione; sed si particeps fraudis est. §. 3. Si quis particeps quidem fraudis non fuit, verumtamen vendente debitore, testato conventus est a creditoribus, ne emeret: an in factum actione teneatur, si comparaverit? Et magis est, ut teneri debeat: non enim caret 38 fraude, qui conventus testato perseverat. §. 4. Alias 39 autem, qui scit aliquem creditores habere, si cum eo contrahat simpliciter sine fraudis conscientia: non videtur hac actione teneri. §. 5. Ait Prætor *Sciente*, id est, eo, qui convenitur hac actione. Quid ergo, si forte tutor pupilli scit, ipse pupillus ignoravit? videamus, an actioni locus sit, ut scientia tutoris noceat: idem & in curatore furiosi, & adolescentis: Et putem, hactenus istis nocere conscientiam tutorum, sive curatorum, quatenus quid ad eos pervenit. §. 6. Præterea sciendum est, posse quæri, quod dicitur, in fraudem creditorum alienatum revocari posse: si iidem sint creditores: etsi unus creditor sit ex illis, qui fraudati sunt, (sive solus tunc fuit, sive, cum ceteris satisfactum est, hic solus remansit,) probandum esse, adhuc actioni fore locum. §. 7. Illud certe sufficit, etsi unum scit creditorem fraudari, ceteros ignoravit: fore locum actioni. §. 8. Quid ergo, si ei, quem quis scit, satisfactum est? numquid deficiat actio: quia, qui supersunt, non sunt fraudati? Et hoc puto probandum. Non tamen, si dicat aliquis, *Offero, quod debetur ei, quem scio creditorem*, audiendus erit, ut actionem eludat. §. 9. Si fraudator heredem habuit, & heredis bona venierint: non est in bonis, quibus de agitur, factum: & ideo cessat hæc actio. §. 10. Si quid in fraudem creditorum fecerit filius, qui se poterat abstinere, & in integrum sit restitutus, quod se miscuerat; vel si quis fecit (heres) voluntarius etiam, vel per ætatem, vel quam (aliam) causam justam in integrum meruit restitutionem: dicendum erit, utilem actionem competere. † Idem & in servo necessario. Sane cum illa distinctione hoc admittendum esse, La-beo scribit, ut si quidem protinus bona vendiderunt creditores; & vel absentibus, vel paciscentibus creditoribus se necessarius miscuit: utriusque fraus revocetur, id est, testatoris, & ipsius: si vero passi sunt necessariam creditores, & quasi in creditum habuerunt nomen ejus, vel dulcitudine usurarum, vel qua alia ratione secuti (sunt:) dicendum est, nihil revocari ex his, quæ testator alienavit. §. 11. Si impubes patri heres exstiterit, eiusque mortui bona veneant: separatione impetrata, utriusque fraus erit revocanda, pupilli, vel etiam tutoris, item curatortis. §. 12. Si cum in diem (mihi) deberetur, fraudator præsens 40 solverit: dicendum erit, (quod) in eo, quod sensu commodum in representatione, in factum actioni locum fore; nam Prætor fraudem intelligit etiam in tempore fieri. §. 13. Si cui solum quidem non fuerit, sed in 41 vetus creditum pignus acceperit: hac actione tenebitur, ut est sæpissime constitutum. §. 14. Si cum mulier fraudandorum creditorum consilium inisset, marito suo, eidemque debitori in fraudem creditorum acceptum 42 debitum fecerit, dotis constituendæ causa: locum habet hæc actio; & per hanc omnis pecunia, quam maritus debuerat, exigitur: nec mulier de dote habet actionem; neque enim dos in fraudem creditorum constituenda est: & hoc certo certius est, & sæpissime constitutum. Exitus autem actionis erit, ut stipulatio, quæ accepta facta fuerat, ex integro interponatur. §. 15. Per hanc actionem & usufructus, & huiusmodi stipulatio, *In annos singulos dena dare spondes?* exigi potest. §. 16. Si debitorem meum, & complurium creditorum consecutus essem fugientem, secum ferentem pecuniam, & abstulisset ei id, quod mihi debeatur: placet Juliani sententia dicentis, multum interesse, antequam in possessionem bonorum ejus creditores mittantur, hoc factum sit, an postea: si ante, cessare in factum actionem; si postea, huic locum fore.

(35. l. 1. c. de jure fisci. (36. l. 16. infr. h. l. (37. §. 4. infr. h. l. (38. l. 17. c. de rei vind. l. 9. §. 1. versic. sed si ei. supr. de edendo. l. 7. §. 2. in fin. sup. de tribur. act. excip. l. 2. sup. quod falso tutore. (39. §. 2. supr. h. l. (40. l. 2. in fin. supr. l. 17. in fin. infr. h. t. (41. l. 6. §. 6. supr. l. 22. inf. eod. (42. l. 1. in fin. supr. eod.

§. 17. Si ex Constitutione Divi Marci bona sint addicta alicui, libertatum conservandarum causa: dicendum erit, actionem cessare; ita enim succedunt, ut rata sint, quæ paterfamilias gesserat. §. 18. Annus 43 hujus in factum actionis computabitur ex die venditionis bonorum. §. 19. Per hanc actionem (res) restitui debet cum sua scilicet causa. §. 20. Et fructus 44, non tantum qui percepti sunt, verum etiam hi, qui percipi potuerunt a fraudatore, veniunt: sed cum aliquo modo; scilicet ut sumtus facti deducantur; nam arbitrio judicis non prius cogendus est rem restituere, quam si impensas necessarias consequatur; idemque erit probandum, & si quis alius sumtus ex voluntate fideiussorum creditorumque fecerit. §. 21. Partum quoque in hanc actionem venire, puto verius esse. §. 22. Præterea generaliter sciendum est, ex hac actione restitutionem fieri oportere in pristinum 45 statum; sive res fuerunt 46, sive obligationes: ut perinde omnia revocentur, ac si liberatio facta non esset; propter quod etiam medii temporis commodum, quod quis consequeretur liberatione non facta, præstandum erit: dum usura non præstentur, si in stipulatum deductæ non fuerunt; aut si talis contractus fuit, in quo usura deberi potuerunt etiam non deductæ. §. 23. Si conditionalis fuit obligatio, cum sua conditione: si in diem, cum 47 sua die restauranda est. Si tamen ea erat, ejus dies finitur: potest dici, restitutionem intra id tempus posse postulari, quod (tempus) supererat obligationi: non utique intra annum. §. 24. Hæc actio post annum de eo, quod ad eum pervenit, adversus quem actio movetur, competit: iniquum enim Prætor putavit, in lucro morari eum, qui lucrum sensit ex fraude: idcirco lucrum ei extorquendum putavit. Sive igitur ipse fraudator sit, ad quem pervenit, sive alius quisvis: competit actio in id, quod ad eum pervenit, dolove malo ejus factum est, quominus perveniret. §. 25. Hæc actio heredi ceterisque successoribus competit: sed & in heredes, simileque personas datur.

#### 11. VENULEJUS (SATURNINUS) lib. 6.

Interdictorum.

Cassius actionem introduxit in id, quod ad heredem pervenit. *De peculio.*

#### 12. MARCELLUS (lib. 18. Digestorum.)

Si pater filiofamilias liberam peculii administrationem dederit, non videtur ei & hoc concessisse, ut in fraudem creditorum alienaret; talem enim alienationem non habet: at si hoc quoque concessit filio pater, ut vel in fraudem creditorum facere possit: videbitur ipse 48 fecisse, & sufficientes competentes adversus eum actiones; etenim filii creditores, etiam patris sunt creditores cum ejus generis videlicet habebunt actionem, ut his de peculio præstari necesse sit.

*De pignore.*

#### 13. PAULUS (lib. 63. ad Edictum.)

Illud constat, eum, qui pignus tenet, hac actione non teneri: suo enim jure, ut & pignus, non rei servandæ causa possidet.

*De dominio restituendo. De actione cedenda.*

#### 14. ULPIANUS (lib. 6. Disputationum.)

Hæc in factum actione non solum dominia 49 revocantur, verum etiam actiones restaurantur. † Ea propter competit hæc actio & adversus eos, qui res non possident, ut restituant: & adversus eos, quibus actio competit, ut actione cedant. † Proinde si interposuerit quis personam Titii, ut ei fraudator res tradat: actione mandati 50 cedere debet. † Ergo & si fraudator pro filia sua dotem dedisset scienti 51 fraudari creditores: filia teneatur, ut cedat actione de dote adversus maritum.

*De libertatibus.*

#### 15. JULIANUS (lib. 49. Digestorum.)

Si quis, cum haberet Titium creditorem, & 52 sciret se solvendo non esse, libertates dederit testamento; deinde dimisso Titio postea Sempronium creditorem habere cœperit, & eodem testamento manente decesserit: libertates datæ ratæ esse debent 53 etsi hereditas solvendo non sit; quia, libertates ut rescindantur, utrumque in eorundem personam exigimus, & consilium, & eventum, & si quidem creditor, cuius fraudandi consilium initium erat, non fraudatur, adversus eum, qui fraudatur, consilium initum non est; libertates itaque ratæ sunt.

(43. l. 6. in fin. supr. l. ult. c. h. t. (44. l. 25. §. 4. infr. eod. (45. l. 2. §. 44. inf. ne quid in loco publ. (46. l. 14. inf. h. t. (47. l. 43. in fin. sup. de jure dot. (48. l. 1. §. 12. inf. de vi & vi armat. (49. l. 10. §. 22. sup. h. t. (50. l. 12. supr. si quid in fraud. patron. (51. l. 25. §. 1. infr. h. t. (52. l. 23. supr. qui & a quib. manumiss. (53. Obst. l. 25. sup. d. t.



**N** 16. PAULUS ( lib. 5. Responsorum Papiniani. )  
 nisi priores pecunia posteriorum dimissi 54 probentur.  
*De liberatione. 1. De alienatione omnium bonorum. 2.*  
*De dotis restitutione representata.*

17. JULIANUS ( lib. 49. Digestorum. )  
**O**mnnes 55 debitores, qui in fraudem creditorum liberantur,  
 per hanc actionem revocantur in pristinam obligationem. §.  
 1. Lucius Titius, cum haberet creditores, libertis suis, iisdem-  
 que filiis naturalibus universas res suas tradidit. Respondit: Quam-  
 vis non proponatur consilium fraudandi habuisse; tamen qui cre-  
 ditores habere se scit, & universa bona sua alienavit, intelligen-  
 dus est fraudandorum creditorum consilium habuisse, ideoque  
 etsi filii ejus ignoraverunt, hanc mentem patris sui fuisse, hac  
 actione tenentur. §. 2. Si vir uxori, cum creditores suos frau-  
 dare vellet, soluto matrimonio presentem 56 dotem reddidisset,  
 quam statuto tempore reddere debuit; hac actione mulier tantum  
 præstabit, quanti creditorum intererat, dotem suo tempore red-  
 di; nam Prator 57 fraudem etiam in tempore fieri intelligit.

*De remissione pignoris.*

18. PAPINIANUS ( lib. 26. Quæstionum. )  
**(E**t) si pignus 58 vir uxori, vel uxor viro remisit: verior  
 sententia est nullam fieri donationem existimantium. Quod  
 sine dubio, si in fraudem creditorum fiat actione utili revocabi-  
 tur. † Idemque ( est, ) & si quivis debitorum in fraudem credi-  
 torum pignus omiserit.

*De restitutione fideicommissi.*

19. IDEM ( lib. 11. Responsorum. )  
**P**atrem, qui non exspectata morte sua, fideicommissum here-  
 ditatis maternæ filio soluto potestate restituit, omiſſa ratione  
 Falcidiæ, plenam 59 fidem, ac debitam pietatem secutus exhi-  
 bitionis, respondi, non creditores fraudasse.

20. CALLISTRATUS ( lib. 2. Quæstionum. )  
**D**ebitorem, qui ex Senatusconsulto Trebelliano rotam heredita-  
 tem restituit, placet non videri in fraudem creditorum alie-  
 nasse portionem, quam retinere potuisset: sed magis fideliter 60  
 facere.

*Pactum de finibus prædii pignori.*

21. SCÆVOLA lib. 1. Responsorum.  
**D**ebitor in fraudem creditoris cum vicino de finibus pignori  
 dati fundi pactus est; Quæsitum, an is, qui a creditore  
 emit, de finibus agere possit? Respondit: secundum ea, quæ pro-  
 ponerentur, non idcirco minus agere posse, quod debitor igno-  
 rante creditore pactus esset.

*De pignore.*

22. IDEM ( lib. 5. Responsorum. )  
**C**um in vetus 61 creditum unus creditor pignora accepisset:  
 Quæro, an in fraudem ceterorum creditorum factum nullius  
 momenti esset? Respondit, creditorem non idcirco prohibendum  
 a persecutione pignorum, quod in vetus creditum, ut obligare-  
 tur, pactus esset: nisi id in fraudem ceterorum creditorum fa-  
 ctum sit, & ea via juris occurratur, qua creditorum fraudes re-  
 scindi solent.

*De pacto heredum futurorum, & creditorum hereditariorum.*

23. IDEM ( lib. 32. Digestorum. )  
**P**rimo gradu scripti heredes, cum animadvertent, bona de-  
 functi vix ad quartam partem aris alieni sufficere: famæ de-  
 functi conservandæ gratia, ex consensu creditorum, auctoritate  
 Præsidis Provinciæ, secundum Constitutionem ea conditione adie-  
 runt hereditatem, ut creditoribus dumtaxat partem præstarent.  
 Quæsitum est, an manumissi testamento & libertates, & alimenta  
 consequi possint? Respondit, libertates quidem, si in fraudem  
 creditorum data non essent, competere: legata vero, si solvendo  
 hereditas non esset, non deberi.

*Si uni creditorum solutum fuerit.*

24. IDEM ( lib. sing. Quæstionum publice tractatarum. )  
**P**upillus patri heres existit, & uni creditorum solvit: mox ab-  
 stinuit hereditate paterna; bona patris veneunt: an id, quod  
 accepit creditor, revocandum sit, ne melioris conditionis sit,  
 quam ceteri creditores? an distinguimus, per gratificationem ac-  
 ceperit, an non? ut si per gratificationem 62 tutorum, revocetur  
 ad eandem portionem, quam ceteri creditores fuerint laturo; sin

vero juste exegerit, ceteri creditores neglexerint exactionem,  
 interea res deterior facta sit, vel mortalitate, vel subductis rebus  
 mobilibus, vel rebus soli ad irritum perductis; id, quod accepe-  
 rit creditor, revocari nullo pacto potest; quoniam alii creditores  
 suæ negligentia expensum ferre debeant. † Quid ergo, si cum in  
 eo essent, ut bona debitoris mei venirent, solverit mihi pecu-  
 niam: an actione revocari ea possit a me? an distinguendum est,  
 is obtulerit mihi, an ego illi extorserim invito? & si extorserim  
 invito, revocetur? si non extorserim, non revocetur? Sed vigila-  
 vi, meliorem meam conditionem feci; *Jus civile vigilantibus* 63  
*scriptum est*: ideo ( quoque ) non revocatur id, quod percepi.

*De acceptilatione. 1. De dote. 3. De procuratore. 4. De  
 ipsa re, & fructibus, & partu ancillæ. 6. De  
 ipso fraudatore conveniendo.*

25. VENULEJUS ( lib. 6. Interdictorum. )

**S**i fraudator fidejussori suo scienti acceptum tulerit, si (&) reus  
 non ignoraverit, uterque tenebitur: si minus, is, qui scierit.  
 Si tamen ille, cui acceptum factum est, solvendo non sit: viden-  
 dum est, an in reum, etiam si ignoraverit, actio danda sit? quia  
 ex donatione capit. Contra si reo sciente acceptum latum sit, fi-  
 dejussor quoque, si & ipse scierit, tenebitur: si vero ignoraverit,  
 numquid non æque actio in eum dari debeat, quoniam magis de-  
 trimentum non patitur, quam lucrum faciat? In duobus autem  
 reis par utriusque causa est. §. 1. Si a focero fraudatore 64 sciens  
 gener accepit dotem, tenebitur hac actione: & si restituerit eam,  
 desinit dotem habere: nec quicquam emancipata, divortio facto,  
 restitutum Labeo ait; quia hac actio rei restituendæ gratia, non  
 poenæ nomine daretur; ideoque absolvi solet reus, si restituerit.  
 Sed si prius quam creditores cum eo experirentur, reddiderit fi-  
 lia dotem, judicio dotis nomine conventus: nihilominus eum  
 hac actione teneri, Labeo ait: nec ullum regressum habiturum  
 ad mulierem. Sin vero sine judice, videndum, an ulla repetitio  
 competat ei? † Quod si is ignoraverit, filia autem scierit: tene-  
 bitur filia. Si vero uterque scierit, uterque tenebitur. At si neu-  
 ter scierit, quidam existimant, nihilominus in filiam dandam  
 actionem: quia intelligitur quasi ex donatione aliquid ad eam  
 pervenisse: aut certe cavere eam debere, quod consecuta fuerit,  
 se restitutam. † In maritum autem, qui 65 ignoraverit, non  
 dandam actionem; non magis, quam in creditorem, qui a frau-  
 datore, quod 66 ei deberetur, acceperit: cum is indotatam ux-  
 orem ducturus non fuerit. §. 2. Item si extraneus filiafamilias no-  
 mine fraudandi causa dotem dederit; tenebitur maritus, si scie-  
 rit: æque mulier, nec minus & pater, si non ignoraverit: ita  
 ut caveat, si ad se dos pervenerit, restitui eam. §. 3. Si procu-  
 rator ignorante domino, cum sciret debitorem ejus fraudandi ce-  
 pisse consilium, jussit servo ab eo accipere: hac actione ipse te-  
 nebitur, non dominus. §. 4. Non solum autem ipsam rem alie-  
 natam restitui oportet, sed & fructus 67, qui alienationis tem-  
 pore terræ coherent: quia in bonis fraudatoris fuerunt. Item  
 eos, qui post inchoatum judicium recepti sint. † Medio autem  
 tempore perceptos in restitutionem non venire. † Item partum  
 ancillæ per fraudem alienatæ medio tempore editum, in resti-  
 tutionem non venire: quia in bonis non fuerit. §. 5. Proculus ait;  
 si mulier post 68 alienationem conceperit, & antequam agere-  
 tur, pepererit: nullam esse dubitationem, quin partus restitui  
 non debeat; si vero cum alienaretur, prægnans fuerit, posse dici,  
 partum quoque restitui oportere. §. 6. Fructus autem fundo co-  
 hæsisse non satis intelligere se, Labeo ait, utrum dumtaxat, qui  
 immaturi fuerint, Prator significet: ceterum, etiam si de his  
 senserit, qui maturi fuerint; nihilo magis possessionem restitui  
 oportere; nam cum fundus alienaretur, quod ad eum, fructusque  
 ejus attineret, unam quandam rem fuisse, id est, fundum, cujus  
 omnis generis alienationem fructus sequi: nec eum, qui hyberno  
 ( tempore ) habuerit fundum centum, si sub tempus messis, vin-  
 demiave, fructus ejus vendere possit decem: ideoque duas res, id  
 est, fundum centum, & fructus decem, eum habere intelligen-  
 dum: sed unam, id est, fundum centum: sicut is quoque unam  
 rem haberet, qui separatim solum adium vendere possit. §. 7.  
 Hæc actio etiam in 69 ipsum fraudatorem datur: licet Mela non  
 putabat, in fraudatorem eam dandam: quia nulla actio in eum  
 ex ante gesto post bonorum venditionem daretur; & iniquum

(54.l.10. §.1. supr. h. t. (55. d. l. 10. §. 23. (56. d. l. 10. §. 12. (57. d. l. 10. §. 12. in fin. (58. l. 2. sup. eod. l. 1. §. 1. sup. quib. mod. pign. (59. l. 20. inf. h. t. (60. l. 19. sup. eod. adde l. 6. sup. eod. l. 1. c. ad leg. Falcid. (61. l. 20. §. 13. sup. h. t. (62. l. 6. §. 2. sup. de reb. quætor. judic.

(63. l. 6. §. 7. supr. h. t. l. 16. supr. ex quib. caus. major. l. 1. in pr. supr. de pecul. l. 2. in pr. c. de annali except. (64. l. 14. in fin. supr. h. t. (65. l. 6. §. 3. supr. eod. (66. d. l. 6. §. 7. (67. l. 19. §. 19. §. 20. supr. eod. l. 38. §. 4. supr. de usur. (68. §. 4. supr. h. t. ult. c. h. t.



offet, actionem dari in eum, cui bona ablata essent. Si vere quædam disperdidisset, si nulla restitutione recuperari possent, nihilominus actio in eum dabitur: & Prætor non tantum emolu-

mentum actionis intueri videtur in eo, qui exutus est bonis, quam poenam.

## LIBER QUADRAGESIMUS TERTIUS.

### TIT. I.

#### DE INTERDICTIS I (SIVE 2 EXTRAORDINARIIS ACTIONIBUS, QUÆ PRO HIS COMPETUNT.)

*Divisio prima a materia. 1. secunda ab effectu. 2. Tertia a tempore, ad quod referuntur. 3. Utrum Interdicta sint in rem, an in personam. 4. Divisio quarta a tempore, quo competunt.*

1. ULPIANUS (lib. 67. ad Edictum.)

**V**ideamus, de quibus rebus Interdicta competunt. † Et sciendum est, Interdicta aut de 3 divinis rebus, aut de humanis competere. *Divinis*, ut de locis 4 sacris, vel de locis religiosis † De rebus *hominum* Interdicta redduntur: aut de his, quæ sunt alicujus, aut de his, quæ nullius sunt. † Quæ sunt *nullius*, hæc sunt: liberæ personæ, de quibus exhibendis 5, ducendis 6, Interdicta competunt. † Quæ sunt *alicujus*: hæc sunt aut publica, aut singulorum. † *Publica* de locis publicis 7, de viis 8, deque fluminibus 9 publicis. Quæ autem singulorum sunt; aut ad universitatem pertinent, ut Interdictum Quorum 10 bonorum: aut ad singulas res, ut est Interdictum uti 11 possidetis, De itinere actuque. 12 §. 1. Interdictorum autem tres 13 species sunt, exhibitoria, prohibitoria, restitutoria: sunt tamen quædam Interdicta & mixta, quæ & prohibitoria sunt, & exhibitoria. §. 2. Interdictorum quædam in præsens, quædam in præteritum referuntur: *in præsens*, ut Uti possidetis: *in præteritum*, ut De itinere, actuque, De aqua æstiva. §. 3. Interdicta omnia, licet in rem videantur concepta, vi tamen ipsa personalia sunt. §. 4. Interdictorum quædam annalia sunt, quædam perpetua.

*Divisio quinta ab actore, & reo. 1. Sexta. 2. Septima. 3. & octava (quæ est subdivisio membri positi in sexta divisione) a fine.*

2. PAULUS (lib. 63. ad Edictum.)

Interdictorum quædam 14 duplicia sunt, quædam simplicia. *Duplicia* dicuntur, ut *Uti possidetis*. *Simplicia* sunt ea, veluti exhibitoria, & restitutoria, item prohibitoria *De arboribus cedendis* & *De itinere actuque*. §. 1. Interdicta autem competunt, vel hominum causa, vel divini juris, aut de religione: sicut est, *ne quid in loco sacro fiat*: vel, *quod factum est, restituatur*; & *de mortuo inferendo*, vel, *sepulcro adificando*. † Hominum causa competunt, vel ad publicam utilitatem pertinentia, vel sui juris tuendi causa, vel officii tuendi causa, vel rei familiaris. † *Publicæ utilitatis causa* competit Interdictum: *Ut via publica uti liceat, & flumine publico*: & *ne quid fiat in via publica*. † *Juris sui tuendi causa*, *de liberis exhibendis*, item *de libero exhibendo*. *Officii causa*, *de homine libero exhibendo*. Reliqua interdicta rei familiaris causa dantur. §. 2. Quædam interdicta rei persecutionem continent, veluti *de itinere actuque privato*: nam proprietatis causam continet hoc Interdictum. † Sed & illa Interdicta, quæ de locis sacris, & de religiosis proponuntur, veluti proprietatis causam continent. Item illa (de liberis exhibendis,) quæ juris tuendi causa diximus competere: ut non sit mirum, si, quæ Interdicta ad rem familiarem pertinent, proprietatis, non possessionis causam habeant. §. 3. Hæc autem Interdicta, quæ ad rem familiarem spectant, aut 15 adipiscendæ sunt possessionis, aut recuperandæ, aut retinendæ. † *Adipiscendæ* 16 possessionis sunt Interdicta, quæ competunt his, qui ante non sunt nacti possessionem: sunt autem Interdicta adipiscendæ possessionis, *Quorum bonorum*. 17 *Salvianum* quoque Interdictum, quod est de pignoribus, ex hoc genere est: & 18 *quo itinere venditor usus est, quominus emtor utatur, vim fieri veto*. † *Recuperandæ* possessionis causa proponuntur sub rubrica: *Unde vi* 19: aliqua enim sub hoc titulo Interdicta sunt † *Retinendæ* possessionis sunt Interdicta, *Uti possidetis*. 20 sunt Interdicta 21

TIT. I. (1. Lib. 8. C. 1. Lib. 4. Inst. 15. (2. Inst. h. t. in pr. (3. l. 2. §. 1. infr. h. t. (4. Tit. 6. infr. h. t. (5. Tit. 29. infr. h. l. (6. Tit. 30. infr. h. l. (7. Tit. 7. 8. 9. infr. h. l. (8. Tit. 10. 11. infr. h. l. (9. Tit. 12. 13. 14. 15. infr. h. l. (10. Tit. 2. infr. h. l. (11. Tit. 17. infr. h. l. (12. Tit. 19. infr. h. l. (13. §. 1. Inst. h. t. (14. h. t. §. 7. Inst. eod. (15. §. 2. Inst. eod. (16. §. 3. Inst. eod. (17. Tit. 33. infr. h. l. d. §. 3. (18. Tit. 19. infr. h. l. (19. Tit. 16. infr. h. l. (20. Tit. 17. infr. h. l. (21. in pr. supr. h. l.

TOM. I.

(ut diximus) duplicia, tam recuperandæ, quam adipiscendæ possessionis.

*De fructibus.*

3. ULPIANUS (lib. 69. ad Edictum.)

In interdictis 22 exinde ratio habetur fructuum, ex quo edita sunt, non retro.

*De Interdictis annuis.*

4. PAULUS (lib. 67. ad Edictum.)

Ex quibus causis annua Interdicta sunt, ex his de eo, quod ad eum, cum quo agitur, pervenit, post 23 annum judicium dandum, Sabinus respondit.

*De Interdictis noxalibus.*

5. IDEM (lib. 13. ad Sabinum.)

Interdicta noxalia ea sunt, quæ ob 24 delictum eorum, quos in potestate habemus dantur: veluti cum vi dejecerunt, aut vi, aut clam opus fecerunt. Sed officio judicis continetur, ut dominum sua impensa opus restituentem absolvat: patientiam tollendo operi præstantem, noxæ dedere jubeat, & absolvat: si non dedat, quantum impensæ in tollendo opere erogatum sit, tanti condemnet: si neque patientiam præstet, neque ipse tollat, cum possit: in tantum condemnet, in quantum Judex æstimaverit, atque si ipse fecisset.

### TIT. II.

#### QUORUM I BONORUM.

*Interdictum 1. De effectu, materia, nomine, fine hujus Interdicti.*

1. ULPIANUS (lib. 67. ad Edictum.)

**A**it Prætor, *Quorum bonorum ex Edicto meo illi possessio data est, Quod de his bonis pro herede, 2 aut pro possessore possides, possideresve, si nihil usucaptum esset: quod quidem dolo malo fecisti, uti defineres possidere: id illi restituas.* §. 1. Hoc Interdictum restitutorium 3 est, & ad universitatem bonorum, non ad singulas res pertinet 4: & appellatur: *Quorum bonorum*, & (est) *adipiscendæ* 5 possessionis universorum bonorum.

*Qui tenentur hoc interdicto.*

2 PAULUS (lib. 20. ad Edictum.)

Interdicto *Quorum bonorum* debitores hereditarii non tenentur: sed tantum corporum possessores.

### TIT. III.

#### QUOD I LEGATORUM.

*Nomen 1. Finis. 2. Causa, effectus. 3. De successoribus. 4. De cumulatione hereditatis, & hujus Interdicti. 5. De mortis causa donatione. 6. De legato heredi. 6. De eo, qui dolo desit possidere. 8. De usufructu, usu, servitute. 9. De misso in possessionem legatorum servandorum causa. 10. De ipso legatario, & ejus successoribus. 11. De voluntate ejus, ad quem res pertinet. 12. De ipso legatario, & eo, qui in illius locum successit. 14. De voluntate ejus, ad quem res pertinet. 16. De satisfactione.*

1 ULPIANUS (lib. 67. ad Edictum.)

**H**oc Interdictum vulgo *Quod legatorum* appellatur. §. 1. Est autem & ipsum *adipiscendæ* possessionis. §. 2. Et continet hanc causam: *Ut quod quis legatorum nomine non ex voluntate heredis 2 occupavit, id restituat heredi.* † Etenim æquissimum Prætori visum est, unumquemque non sibi 3 ipsum jus dicere occupatis legatis, sed ab herede petere. Redigit igitur ad heredes per hoc Interdictum ea, quæ legatorum nomine possidentur: ut perinde legatarii possint eum convenire. §. 3. Hoc Interdictum & heredem

(22. l. 1. §. 40. infr. de vi & vi armat. l. 8. §. 4. infr. de precario. (23. l. 1. in pr. infr. de vi & armat. (24. §. ult. Inst. de noxal. act.

TIT. II. (1. Lib. 8. C. 2. (2. l. 2. C. h. t. (3. §. 1. vers. restitutoria. Inst. de interdict. (4. Vide tamen l. 28. l. 29. l. 30. infr. de furt. (5. §. 3. Inst. de interdict.

TIT. III. (1. Lib. 8. C. 3. (2. Adde §. 3. infr. h. l. (3. l. un. C. ne quis in sua caus.

heredi

B b b 3